6
36-d
25



Digitized by Google

APOPHTHEGMATA
GRÆCA,
LATINA,
ITALICA,
GALLICA,
HISPANICA;

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

collecta

à

GERÆRDO TVNINGIO *Leidensi*,

Pertinet ad Bibliotecam S. Franc. Ptranstiberim Almæ Vrbis

4. C.

Ex Testamento Illmi et Revmi D. Ascanij Rivaldi

EX OFFICINA PLANTINIANA
RAPHELENGII,
CIↃ. IↃ. CIX.

Digitized by Google

ILLVSTR. GENEROSIS, INCLYTIS, MAGNIFICIS SPECTABILIBVSQVE VIRIS,

BIBLIOTECA NA ROMA

WALRAVIO, DOMINO BREDERODÆ, *libero Domino Vianæ, Vicecomiti Vltraiectino, Domino Ameidæ, Cloetingæ &c.*

IOHANNI SCAGHEO, *Domino Scaghæ, Barſingerhornæ, Harinchuiſæ, Gouriana &c.*

IOHANNI DVVENVORDIO, *Domino Warmondæ, Eſſelickerwoudæ, Alckemadæ &c. in Hollandia & Weſtfriſia magno Venationum Magiſtro, inq; Præfectura rei maritimæ omnem laudem ſupergreſſo;*

IOHANNI OLDENBARNEVELDIO, *equeſtris dignitatis, Domino Tempelæ, Berckelæ, Groeneueltæ, Roderiſæ &c. Hollandiæ & Weſtfriſiæ Aduocato, principi conſiliario, & magni ſigilli archiuorumq; Cuſtodi;*

HVGONI MVSIO AB HOLY, *vrbis primariæ Dordraci & agri Stridenſis Prætori, arduis belli muneribus viriliter defuncto;*

Gerærdus Tuning S. D.

QVANDOQVIDEM veſtrâ in-primis operâ atque ſapientiâ effectum eſt, hoc vti nobis

frui otio liceret, plurimum nos vobis debere, iure meritoque præ nobis ferimus; communi scilicet Reip. nostræ nomine, cuius vos non semel labantem statum prudentibus vestris consiliis erexistis; armis, periculis atque legationibus stabiliuistis: idque ductu & auspiciis inuictissimi fortissimique Principis Mauricii Nassouii; cuius quum virtuti nulla nec arma nec munimenta nec robora restiterint, iampridem magnanimus ille Heros præclarâ æterni nominis sui famâ totum terrarum orbem ita impleuit, eius vt imperio censeatur esse dignissimus. Quamobrem vnumquemque industriam

duſtriam ſuam gnauiter eò conferre oportet, vt (quacumque id fieri ratione poſſit) admirabiles ac heroïcæ virtutes veſtræ omni genere monumentorum ad immortalem poſteritatis memoriam cõſecrentur. Non quòd rerum à vobis geſtarum gloria cuiuſquam indigeat præconio; ſed quòd alia nobis via nulla relinquatur, quâ ingrati animi notam effugere valeamus. Ad me autem quod attinet, quoniam natura nullas mihi eloquentiæ dotes elargita eſt, non committam profectò, vt ſummis laudibus veſtris percenſendis confidens nimis vel inanis potiùs videar vobis. Earum itaque limen

frui otio liceret, plurimum nos vobis debere, iure meritoque præ nobis ferimus; communi scilicet Reip. nostræ nomine, cuius vos non semel labantem statum prudentibus vestris consiliis erexistis; armis, periculis atque legationibus stabiliuistis: idque ductu & auspiciis inuictissimi fortissimique Principis Mauricii Nassouii; cuius quum virtuti nulla nec arma nec munimenta nec robora restiterint, iampridem magnanimus ille Heros præclarâ æterni nominis sui famâ totum terrarum orbem ita impleuit, eius vt imperio censeatur esse dignissimus. Quamobrem vnumquemque industriam

duſtriam ſuam gnauiter eò conferre oportet, vt (quacumque id fieri ratione poſſit) admirabiles ac heroïcæ virtutes veſtræ omni genere monumentorum ad immortalem poſteritatis memoriam cõſecrentur. Non quòd rerum à vobis geſtarum gloria cuiuſquam indigeat præconio; ſed quòd alia nobis via nulla relinquatur, quâ ingrati animi notam effugere valeamus. Ad me autem quod attinet, quoniam natura nullas mihi eloquentiæ dotes elargita eſt, non committam profectò, vt ſummis laudibus veſtris percenſendis confidens nimis vel inanis potiùs videar vobis. Earum itaque limen

quum libare tantùm vtcumque mihi concedatur, minimè verò penetrare; diuinas ego virtutes veſtras, veluti ſacra cum ſilentio potiùs quàm plauſu ſpectamus, ſic veneror quidem tacitus, non exſequor; adoro penè dixerim, non adorno; easque intra arcanum pectoris penetrale ſanctè religioſéque colo. Sed tamen vt aliquod ſaltem meæ perpetuæ erga vos obſeruantiæ teſtimonium extaret palam, mea paruitas ad fauẽtiam veſtram decurrendo proceſſit eò, hanc vt Apophthegmatum, ſalium iocorumque miſcellam vobis nuncupare audeam; quibus quaſi delinimentis inter tot, tam graues,

graues, tam multiplices curas, tantopere ad tranquillitatem ac salutem publicam pertinentes seueriorum interdum cogitationum nubila abstergere possitis. Vestrum iam est, pro eximia mansuetudine vestra ac comitate (dignitate illâ vestrâ tantisper in sublimi illo solio fastigioque suo relictâ) sese ad obsequiosi clientis accessionem demittere; vt munusculum, quamuis tenue ac leuidense, vobis oblatum benignâ mente adfectuque beniuolo accipiatis. Nec me (vti me spes non dubia habet) nimiâ ceu familiaritate abutentem omnino negligetis; vtpote qui adsiduo bene omnibus

faciendi vsu ita conformati estis, vt haud temerè aliquem licet sortis exiguissimæ hominem supercilioso fastidio contemnere vmquam soleatis. Bene valete, &, si quid votis possum, diu quàm excelsissimè florete.

AD

Ad Lectorem.

Non eo inficias; nihil hîc meum vindico. Tantum itaque abeſt, vt hinc mihi laudem petam, vt etiam abundè pulchrum fore putem, ſi vitauero grauiorem culpam. Interim auidam ego ſpem legentium, immani pollicitatione non fruſtror: nec me eiuſmodi librum condidiſſe glorior, qui in arce Mineruæ ſtatim conſecrandus ſit. Verbo ponam: vt in vita, ſic in ſtudiis iuuat ſeueritati adſperſa comitas. Eâ causâ frequenter ſoleo à grauioribus meditationibus animum quaſi in ludum mittere ad ſcriptores amœniores; ex quibus ea decerpſi, quæ aliquo mihi

ſale condita , & ad diſcutiendam curarum laſſitudinem non omninò inepta videbantur : quibus multa quoque adieci, quæ habui ex auditu. Vtinam fruſtra ne ſim!

Floriferis vt apes in ſaltibus
omnia libant;
Omnia nos itidem depaſcimur
aurea Dicta.

Neque verò id eo conſilio feci, quidquam vt inde quandoque vulgaretur , ſed vt mihimetipſi ea reſeruarem domi. Poſtea viri cuiuſdam laudatiſſimi eminentiſſimiq; rogatu vel imperio veriùs (quia imperat, quiſquis rogat ſuperior) cottidiano id conuitio efflagitantis, tandem adductus , in hominum ora hæc qualiacumque

cumque vti venirent, pati debui. Alioquin reuerentior sanè posteritatis sum, quàm vt laureolam in mustaceo mihi quærendam arbitrarer. At enimuerò multa memoriam nostram fefellerunt, multa diligentiam fugerunt. Nec mihi cuncta complectendi cupido incessit. Sed nec optuma quæque selegi. Ignoscendum est mihi, qui cùm occupatior sim, & ab istis naturæ dotibus parum paratus, dignoscere exactè non potui. Opus est limato subactoq; iudicio in eiuscemodi delectu; nec cuiusvis est hominis, facetiis argutiisq; inuoluti & captatâ ambiguitate eludentis dicterij vim ac salsuginem adsequi. In certas classes non digessi, vt liber varie-

varietate (quæ faſtidii expultrix, & lectionis irritatrix eſt) quàm ordine eſſet blandior. Cœnam nimirum dubiam concinnaui conuiuis meis, tum vt quiſque deguſtet quod arrideat palato; tum vt marcentis quaſi ſtomachi erigat pigritiam. Tu, lector, fructum vt aliquem hinc capias, Deum veneror. Vale.

AD

Ad V. C. Gerardvm Tvningivm, *Iuris Professorem Ordinarium in Academia Lugdunensi Batava, edentem quinque-linguium Apophthegmaton & Facetiarum librum.*

Octo decemque tibi primos absumserat annos,
Tuningi (vix est credere) torpor iners.
Nobilis ingenii dispendia flere liceret:
Sed facis vt lucro sint tua damna tibi.
Est graue sex annis Latiarem discere linguam:
Hoc tua vis sexto mense peregit opus.
Vertexis ad leges: citiùs, quàm discere cuiquam
Contigit, has alios, nec sine laude, doces.
Otia quin etiam tanto subiere labori:
Sed quorum fructus ista papyrus habet.
Græcia, Gallus, Iber charta spectantur in vna,
Et gens quæ nunc est Itala, quæque fuit.
Tam noua quàm veterũ bene dicta iocosq. referre
Non paucis studium, sed tibi ludus erat.
Nil tua de toto ratio desiderat æuo,
Nec tibi nunc anni bis periere nouem:
Nam ne de vita decedat inutile tempus,
Vita sequens plusquam bis numeranda facit.

Scripsi Hugo Grotius.

In

In Clariſs. Viri

GERÆRDI TVNINGI I. C.

Selecta quinque linguarum

APOPHTHEGMATA.

TOT patrios intra linguas didiciſſe penates,
Ingenij laus eſt magna TVNINGE *tui.*
Optima ſed linguis è quinque excerpere DICTA,
Iudicij laus eſt non minor iſta tui.
Europa hoc multum tibi nomine debet, & omnes
Quotquot linguarum tangit honeſtus amor.
At tibi dum externis curæ eſt decus addere linguis,
Fac patriam decores hac quoque laude tuam.
Hiſtoriæ laudant Belgarum illuſtria facta;
Conſona tu factis DICTA *fuiſſe doce.*

Bon. Vulcanius Brugenſis.

LIBER AD LECTOREM.

QVID me ſeuero Lector adſpicis vultu,
Vrbanitatis vernulæ immemor Lector?
Ineptiarum credis heic dari Librum,
Et ſpurca linguæ probra circulatricis.
Erras, inepte. Dicta ſunt acutorum,
Non ſordidorum dentium ſolœciſmi.
Audi parumper. Iſta Dicta Virtutem
Meliùs docebunt Crantore atque Chryſippo.
At tu Catonem vultuoſus affectas.
Euge! ipſe quondam lulit hunc Cato luſum,
(Saluo pudoris nominisque reſpectu).
Grauésque multi Principum ac Senatorum:
Quorum Salinas quum diu perennare
Non paſſa ſit lex temporum ſequutorum,
Hoc, Lector, eſto nunc Catone contentus.

Petrus Scriuerius.

M. Tvllivs Cicero lib. de Officiis 1.

Dvplex omnino est iocandi genus: vnum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum elegans, vrbanum, ingeniosum, facetum; quo genere non modò Plautus noster & Atticorum antiqua comœdia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt: multaq; multorum facetè dicta; vt ea quæ à sene Catone sunt collecta, quæ vocantur ἀποφθέγματα.

Idem ad Papirium Pætum lib. Epistolarum ad familiares 9. epist. 16.

Sed tamen ipse Cæsar habet peracre iudicium: &, vt Seruius frater tuus, quem litteratissimum fuisse iudico, facilè diceret; Hic versus Plauti non est, hic est; quòd tritas haberet aureis notandis generibus poëtarum ex consuetudine legendi: sic audio Cæsarem, quum volumina iam confecerit ἀποφθεγμάτων, vel per se, si quid adferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, reiicere solere.

APOPHTHEGMATA
GRÆCA,
cum interpretatione Latina.

BIBLIOTECA NA.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Ad nobiliſsimum ampliſsimumq́
virum, D.
ADRIANVM MATHENES,
Dominum Matheneſſæ, Riuieræ, Opmeeræ &c. Academiæ Lugduno-Batauæ Curatorem, & illuſtriſsimorum Ordinum in prouinciis Belgij confœderatis Conſiliarium.

IN

In Apophegmata

CL. V. GERAERDI TVNINGI.

ἀναθηματικὸν.

ὡς ἀπὸ τοῦ βιβλίου.

Doricè.

Ἁ βίβλος σμικρά τις. ὁ δὲ γράψας με Τυνῖγγος
Ὁ κλυτὸς. ἁ πατρὶς Λείδα εὐκτιμένα.
Ταῖς μώσαις δ' ἀνάκειμαι. ἔχω δ' ὅσα τῶν περιέργων
Οὔτις ἂν ἐν βίβλοις γράψαι ἀπειρεσίαις.
Εἰν ὀλίγῳ τὰ μέγιστα. φίλασα γὰρ οὐ πολυτῆνο
Τῶν ἐπέων. γλυκερὰ δ' ἁ βραχυσυλλαβία.

Petrus Cunæus.

Digitized by Google

ΑΠΟΦΘΕΓΜΑΤΑ ΕΛΛΗΝΙΚΑ.

APOPHTHEGMATA GRÆCA.

ΜΈΜΝΩΝ ὁ Αλεξάνδρῳ πολεμῶν ὑπὲρ Δαρείου τοῦ βασιλέως, μισθοφόρον τινὰ πολλὰ βλάσφημα καὶ ἀσελγῆ περὶ Αλεξάνδρου λέγοντα, τῇ λόγχῃ πατάξας, Εγώ σε (εἶπε) τρέφω μαχούμενον, ἀλλ' οὐ λοιδορούμενον Αλεξάνδρῳ.

Memnon cùm in partibus Darij regis, bellum aduersus Alexandrum gereret, militémque quendam stipendiariũ multa in Alexandrum opprobria & flagitiosa torquentem audiret, lãcea eum percussit, & Ego verò, inquit, alo te, vt pugnes cum Alexandro, non vt ei maledicas.

ΑΤΈΑΣ ἔγραφε πρὸς τὸν Φίλιππον, Σὺ μὲν ἄρχεις Μακεδόνων, ἀνθρώπων μεμαθηκότων πολεμεῖν· ἐγὼ δὲ Σκυθῶν, οἱ καὶ λιμῷ καὶ δίψει μάχεσθαι δυνάνται.

Ateas ad Philippum aliquando scribebat: Tu quidem Macedonibus, viris qui bella gerere didicerunt, imperas: ego verò Scythis, qui cum fame & siti pugnare possunt.

ΠΑΡΎΣΑΤΙΣ ἡ Κύρου καὶ Ἀρταξέρξου μήτηρ ἐκέλευσε τὸν πρὸς βασιλέα μέλλοντα μετὰ παῤῥησίας διαλέγεσθαι, βυσσίνοις χρῆσθαι ῥήμασι.

Parysatis Cyri & Artaxerxis mater, iubebat eum qui regem allocuturus esset, byssinis vti verbis.

ΣΚΊΛΟΥΡΟΣ ὀγδοήκοντα παῖδας ἄῤῥενας ἀπολιπὼν,

Scilurus quum relictis octoginta maribus filiis obiturus esset,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

set, iaculorum fasciculum vnicuique proponens, confringere iubebat. Singulis se id posse negantibus, ipse singula sorsum excipiens, omnia facillimè confregit. Quo docebat eos, si coniuncti permanerèt, firmos validosq; fore: sin dissoluti forent, aut simultates alerent, infirmos ac debiles futuros.

ἐπεὶ τελευτᾶν ἔμελλε, δίσμιλῶ ἀκοντίων ἑκάστῳ προτείνων, ἐκέλευσε καταθραῦσαι. πάντων δὲ ἀπαγορευσάντων, καθ' ἓν αὐτὸς ἐξελὼν ἀκόντιον, ἅπαντα ῥᾳδίως συνέκλασε· διδάσκων ἐκείνους, ὅτι σωζόμενοι, ἰσχυροὶ διαμένοιεν, ἀσθενεῖς δ' ἔσοιντο διαλυθέντες καὶ σασιάσαντες.

Hieroni tyranno cùm graueolentiam oris quidam obiiceret, vxorē accusauit, quòd ab ea nunquam monitus de ea re fuisset, Illa autem, Ego verò, inquit, ita viros omnes olere arbitrabar.

Ἱέρωνι ὁ τύραννος λοιδορηθεὶς ὑπό τινος εἰς τὴν δυσωδίαν τὴν στόματος, ἠτιᾶτο τὴν αὐτῆ γυναῖκα μηδέποτε περὶ τούτου φράσασαν. ἡ δὲ εἶπεν, Ὠμην γὰρ τοιοῦτον ἅπαντας τοὺς ἄνδρας ὄζειν.

Dionysius senior, quum sorte secundùm literarum ordinem populi principes eligerentur, M. literam sortitus est: & cùm quidam dixisset, Morices, ô Dionysi; Imo verò, Monarcha ero, respondit. Statimque cùm ad populum concionem habuisset, à Syracusanis imperator fuit designatus.

Διονύσιος ὁ πρεσβύτερος, πληρωμένων τῶν γραμμάτων τῶν δημηγορούντων, ὡς ἔλαχε τὸ Μ, πρὸς τὸν εἰπόντα, Μωρολογεῖς, Διονύσιε, Μοναρχήσω μέν, εἶπε· καὶ δημηγορήσας, εὐθὺς ᾑρέθη στρατηγὸς ὑπὸ τῶν Συρακουσίων.

Επὶ

Ἐπεὶ δ' ἐν ἀρχῇ τῆς τυραννίδος ἐπολιορκεῖτο, συστάντων ἐπ' αὐτὸν τῶν πολιτῶν, οἱ μὲν φίλοι συνεβούλευον ἀπαλλαγῆναι τῆς ἀρχῆς, εἰ μὴ βούλεται κρατηθεὶς ἀποθανεῖν. ὁ δὲ, βοῦν ἰδὼν σφαττόμενον ὑπὸ μαγείρου, καὶ πίπτοντα ταχέως, Εἶτα ἐκ ἀνδρὸς ἐστιν (εἶπεν) ἄτε βραχὺ ὄντα τὸν θάνατον φοβηθέντας ἡμᾶς, ἀρχὴν ἐγκαταλιπεῖν τηλικαύτην;

Τὸν δὲ υἱὸν αἰσθόμενος, ᾧ τὴν ἀρχὴν ἀπολιπεῖν ἔμελλεν, ἀνδρὸς ἐλευθέρᾳ διαφθείρᾳ γυναῖον, ἠρώτησε μετ' ὀργῆς, τί τοιοῦτον αὐτῷ σύνοιδεν. εἰπόντος δὲ τοῦ νεανίσκου, Σὺ γὰρ οὐκ εἶχες πατέρα τύραννον, Οὐδὲ σὺ (εἶπεν) υἱὸν ἕξεις, ἐὰν μὴ παύσῃ ταῦτα ποιῶν.

Τῆς δὲ μητρὸς αὐτοῦ παρήλικος μὲν ὄσης, δοθῆναι δὲ ἀνδρὶ βουλομένης, ἔφη· τοὺς μὲν τῆς πόλεως βιάσασθαι νόμους

In tyrannidis autem initio quum obsideretur, concitatis aduersus ipsum ciuibus; amici quidem consulebant, vt se principatu abdicaret, nisi mallet superatus mori. At is quum vidisset bouem à coquo iugulari, citóque mori; Vos verò non putatis, durum esse, inquit, vt nos morte quæ tam breuis est, pereulsi, tantum principatum relinquamus?

Filium verò, cui principatum relicturus erat, quum intellexisset ingenui hominis vxori vim attulisse, iratus interrogauit, Nunquid tale in se deprehendisset. Et cùm adolescens respondisset: Tu verò patrem tyrannum non habuisti: Ne tu quidem filium, inquit, es habiturus, nisi ab istorum perpetratione desiteris.

Matri verò sue, quæ cùm floris iam exstincti esset fœmina, viro tamen tradi vellet; Ciuili quidem iuri, inquit, vis inferri potest,

naturæ autem non potest.

δυνάσθαι, τοὺς δὲ τῆς φύσεως μὴ δυνάσθαι.

Cùm peregrinus quidam ei diceret, se cum ipso priuatim loqui velle, ac docere, quomodo eos qui insidias ei struerent, cognoscere posset, iussit, diceret. quúmque is accessisset, ac dixisset: Da mihi talentum, vt insidiarum indicia audisse videaris: dedit, se audisse simulans; hominisq́ commentum & artem admiratus est.

Ξένου δέ τινος ἰδίᾳ φράσειν φάσκοντος αὐτῷ, καὶ διδάξειν, ὅπως προειδῇ τοὺς ἐπιβουλεύοντας, ἐκέλευσεν εἰπεῖν. ἐπεὶ δὲ προσεγθὼν, Δὸς (εἶπε) μοι τάλαντον, ἵνα δόξῃς ἀκηκοέναι τὰ σημεῖα τῶν ἐπιβουλευόντων, ἔδωκε, προσποιούμενος ἀκηκοέναι, καὶ ἐθαύμαζε τὴν μέθοδον τοῦ ἀνθρώπου.

Dionysius iunior dicere solebat, multos se alere liberalium artium doctores, non quòd illos admiraretur; sed quòd per illos ipse aliis admirationi esse vellet.

Ο δὲ νεώτερος Διονύσιος ἔλεγε, πολλοὺς τρέφειν σοφιστὰς, οὐ θαυμάζων ἐκείνους, ἀλλὰ δι' ἐκείνων θαυμάζεσθαι βουλόμενος.

Tyrannide autem quum excidisset, interrogatus à quodam, quid illi Plato & philosophia profuisset: Vt tantam, inquit, fortunæ mutationem æquo animo feram.

Εκπεσὼν δὲ τῆς ἀρχῆς, πρὸς μὲν τὸν εἰπόντα, Τί σε Πλάτων καὶ φιλοσοφία ὠφέλησε; Τὸ τηλικαύτην (ἔφη) τύχης μεταβολὴν ῥᾳδίως ὑπομένειν.

Interrogatus item, quomodo parens eius,

Ερωτηθεὶς δὲ, πῶς ὁ μὲν πατὴρ

πατὴρ αὐτοῦ πένης ὢν καὶ ἰδιώτης ἐκτήσατο τὴν Συρακουσίων ἀρχὴν, αὐτὸς δὲ ἔχων καὶ τυράννου παῖς ὤν, πῶς ἀπέβαλεν; Ο μὲν πατὴρ (ἔφη) μισουμένης δημοκρατίας ἐπέστη τοῖς πράγμασιν, ἐγὼ δὲ φθονουμένης τυραννίδος.

quam pauper esset ac priuatus, Syracusanorum dominatum assecutus esset, ipse verò quum haberet, ac tyranni filius esset, amisisset: Pater quidem (ait) quum popularis dominatio odio haberetur, tyrannidem occupauit: ego verò quum iam tyrannis inuidiosa foret.

Αρχέλαος, ἀδολέσχου κουρέως ἐρωτήσαντος αὐτὸν, Πῶς σε κείρω; Σιωπῶν, ἔφη.

Archelaus à tonsore loquaci rogatus: Quomodo tondebo te, ô rex? Silens, inquit.

Ὕδωρ δέ τινος αὐτοῦ κατασκεδάσαντος, ὑπὸ τῶν φίλων παροξυνόμενος ἐπὶ τὸν ἄνθρωπον, Αλλ' οὐκ ἐμοῦ (φησὶν) ἀλλ' ἐκείνου κατεσκέδασεν, ὃν ἔδοξεν ἐμὲ εἶναι.

Idem aquâ respersus à quodam, quum ab amicis aduersus hominem incitaretur: Atqui, ait, non me respersit, sed quem esse putauit.

Ἀγαθοκλῆς πολιορκῶν ποτὲ πόλιν, ἐπειδὴ τῶν ἀπὸ τοῦ τείχους τινὲς ἐλοιδοροῦντο, λέγοντες, Ὦ κεραμεῦ, τὸν μισθὸν πόθεν ἀποδώσεις (υἱὸς γὰρ ἦν κεραμέως) τοῖς στρατιώταις; πρᾶος καὶ μειδιῶν εἶπεν· Αἴκα ταύταν ἕλω· λαβὼν δὲ κατὰ κρα-

Agathocles quum vrbem aliquando obsideret, & è muris illi quidam his verbis maledicerent, Vnde o figule (figuli enim filius erat) militibus tuis mercedem persolues? leniter subridēs, Quū, inquit, hanc occupâro. Et quum vi postea eam occupasset, capti-

nos vendidit addens, Si mihi dehinc maledixeritis, cum heris vestris res mihi erit.

Philippum Alexandri patrem Theophrastus memoriæ prodidit, non solùm dignitate ac fortuna, sed & prudentiâ ac moribus multo aliis regibus præstitisse. Deuictis autem Græcis, quum quidam ipsi consulerent, vt præsidiis vrbes continueret, Malo, inquit, diu benignus, quàm breui tempore dominus appellari.

Maledicum verò vt expelleret, quum hortarentur amici: Non faciam, inquit, ne passim inter plures maledicat.

Populi autem Atheniensis principibus se gratiam habere dicebat, vtpote qui suis conuitiis, ipsum & moribus & sermone in dies efficerent meliorem. Illos quippe inquiebat tum verbis, tum rebus ipsis mendacij conor conuincere.

Τὸς, ἐπί φασκε τὺς αἰχμαλώτους, λέγων, Ἐάν με πάλιν λοιδορῆτε, φὸς τῦς κυρίυς ὑμῶν ἔσαι μοι ὁ λόγος.

Φίλιππον τὸν Αλεξάνδρυ πατέρα Θεόφρασος ἱςόρησεν ὐ μόνον μεταξὺ τῆ βασιλέων τῇ τύχῃ, ἀλλὰ κὴ τῇ ξόανῳ μείζονα γενέσθαι καὶ μεγαλώτερον. Επεὶ δὲ νικήσαντι τὺς Ελλήνας ἀυτῷ συνεβούλευον ἔνιοι, φρουραῖς τὰς πόλεις κατέχειν, ἔφη, μᾶλλον πολυὶ χρόνον ἐθέλειν χρηςὸς, ἢ δεσπότης ὀλίγον καλεῖσθαι.

Τὸν δὲ λοίδορον ἐξελάσαι τῆ φίλων κελευόντων, ὐκ ἔφη, ποιήσειν, ἵνα μὴ φθονῶν ἐν πλείοσι κακῶς λέγῃ.

Τοῖς δὲ τῆ Αθηναίων δημαγωγοῖς ἔφη χάριν ἔχειν, ὅτι λοιδορῦντες ἀυτὸν βελτίονα ποιῦσι & τῷ λόγῳ κὴ τῷ ἤθει. Πειρῶμαι γὰρ ἀυτὺς ἅμα καὶ τοῖς λόγοις & τοῖς ἔργοις ψευδομένυς ἐλέγχειν.

Γελό-

Γενόμενος δὲ κριτὴς δυεῖν πονηροῖν, ἐκέλευσε, τὸν μὲν φεύγειν ἐκ Μακεδονίας, τὸν δὲ ἕτερον διώκειν.

Φρούριον δὲ τὶ βουλόμενος λαβεῖν ὀχυρὸν, ὡς ἀπήγγειλαν οἱ κατάσκοποι, χαλεπὸν εἶναι παντάπασι καὶ ἀνάλωτον, ἠρώτησεν, εἰ χαλεπὸν οὕτως ἐστὶν, ὥστε μηδὲ ὄνον προσελθεῖν χρυσίον κομίζοντα;

Τῷ δὲ υἱῷ παρῄνει τῶν ἐν ταῖς πόλεσι δυνατῶν, καὶ τοὺς ἀγαθοὺς φίλους κτᾶσθαι καὶ τοὺς πονηροὺς, εἶτα οἷς μὲν χρῆσθαι, οἷς δ' ἀποχρῆσθαι.

Επεὶ δὲ ὑπό τινος ξένου κληθεὶς ἐπὶ δεῖπνον ἐν ὁδῷ, πολλοὺς ἐπήγετο, καὶ τὸν ξένον ἑώρα θορυβούμενον (ἦν γὰρ οὐχ ἱκανὰ τὰ παρεσκευασμένα) προπέμπων τῶν φίλων ἑκάστῳ, πλακοῦντι χώραν ἐκέλευεν ἀπολιπεῖν. οἱ δὲ πειθόμενοι καὶ προσδοκῶντες, οὐκ ἤσθιον

Idem quum duorum scelestorum iudex esset, alterum quidem ex Macedonia fugere, alterum verò persequi iussit.

Munitũ verò quoddam castellum quum capere vellet, exploratoresq; renunciassent, vndiq; aditu esse difficile, neque capi posse: interrogauit, num accessu foret tam difficile, vt ne asinus quidem auro onustus adire posset?

Filium autem monebat, vt eos, qui potentes in ciuitatibus forent, & bonos & malos sibi conciliaret; ac opus quum esset, bonis quidem vteretur, malis verò abuteretur.

Ad cœnam verò ab hospite quodam in itinere inuitatus, quum multos secum adduceret, ac hospitem perturbatum videret (neque enim satis erant, quæ fuerant præparata) vnicuique amicorum significauit, placentæ vt locum relinquerẽt. Illi verò cùm crederent & expectarent, parum

comedebant. Ita omnibus, quæ parata erant, suffecêre.

Quum verò quendam ex Antipatri amicis iudicum numero adscripsisset, posteaquam & barbam & capillos eum sibi inficere sensit, remouit, addiditque, cui in capillis fides haberi non posset, dignum non esse, cui in negotiis fides haberetur.

Cùm Machatæ autem cuiusdam causam ipse iudicaret, ac dormitans parùm æquitati intentus esset, ipsum condemnauit; Reclamante autem Machata, prouocare se, indignatus: Ad quem? ait. Machatas autem: Ad te ipsum, ô rex (inquit) modò vigilans attendensq́; audieris. Ac tum quidem surrexit, cúmque ad se rediisset, & Machatæ iniuriam à se factam esse intellexisset, iudicium quidem non rescidit, sed litis æstimationem ipsi persoluit.

Alexander adhuc puer, patre multa pro-

πολλά, καὶ πᾶσιν οὕτως ἤρκεσεν.

Τῶν δὲ Αντιπάτρου φίλων τινὰ καταταξας εἰς τοὺς δικαστὰς, εἶτα τὸν πώγωνα βαπτόμενον αἰσθανόμενος καὶ τὴν κεφαλὴν, ἀνέστησεν, εἰπὼν, τὸν ἄπιστον ἐν θριξὶ, μὴ νομίζειν ἀξιόπιστον ἐν πράγμασι.

Μαχαίτᾳ δέ τινι κρίνων δίκην καὶ ὑπονυστάζων, οὐ πάνυ προσεῖχε τοῖς δικαίοις, ἀλλὰ κατέκρινε. ἐκείνου δὲ ἀναβοήσαντος ἐκκαλεῖσθαι τὴν κρίσιν, διοργισθεὶς, Επὶ τίνα; εἶπε· καὶ ὁ Μαχαίτας, Επὶ σε, βασιλεῦ, αὐτὸν, ἂν ἐγρηγορὼς καὶ προσέχων ἀκούῃς. τότε μὲν οὖν ἀνέστη. γενόμενος δὲ μᾶλλον ἐφ' ἑαυτὸν, καὶ γνοὺς ἀδικούμενον τὸν Μαχαίταν, τὴν μὲν κρίσιν οὐκ ἔλυσε, τὸ δὲ τίμημα τῆς δίκης αὐτὸς ἐξέτισεν.

Αλέξανδρος ἔτι παῖς ὤν, πολλὰ

πολλὰ τῷ Φιλίππῳ καθορθούντος, οὐκ ἔχαιρεν, ἀλλὰ πρὸς τοὺς συντρεφομένους ἔλεγε παῖδας, Ἐμοὶ δὲ ὁ πατὴρ οὐδὲν ἀπολείψει. τῆς δὲ παίδων λεγόντων, ὅπως ταῦτά σοι κτᾶται. Τί δ' ὄφελος (εἶπεν) ἐὰν ἔχω μὲν πολλὰ, πράττω δὲ οὐδέν;

Μέλλων δὲ τῷ ὑπὲρ Γρανίκῳ μάχεσθαι, παρεκάλει τοὺς Μακεδόνας, ἀφθόνως δειπνεῖν, καὶ πάντα φέρειν εἰς μέσον, ὡς ἄριστον δειπνήσοντας ἐκ τῶν πολεμίων.

Ὁ αὐτὸς παρακαλούμενος ὑπὸ τῶν φίλων νυκτὸς ἐπιθέσθαι τοῖς πολεμίοις, εἶπεν· οὐ βασιλικόν ἐστι κλέπτειν.

Περίλλου δέ τινος τῶν φίλων αἰτήσαντος χρήματα τοῖς θυγατρίοις, ἐκέλευσε πεντήκοντα τάλαντα λαβεῖν. αὐτοῦ δὲ φήσαντος, ἱκανὰ εἶναι δέκα, Σοὶ μὲν (ἔφη) λαβεῖν, ἐμοὶ δ' οὐχ ἱκανὰ δοῦναι.

Δαρείου διδόντος αὐτῷ μυ-

sperè gerente, minimè gaudebat, puerisq; cum quibus educabatur dicere solebat, Nihil mihi à patre relinquitur. Et cùm illi respondèrent, Hæc nempe tibi adquirit; At quid prodest, inquit, si multa quidem possideam, neque tamen quicquam faciam?

Apud Granicum verò pugnaturus, Macedonas hortabatur, vt abundè cœnarent, omniaq; in medium conferrent, tanquam postridie quæ hostium essent, cœnaturi.

Idem cùm amici suaderent, vt noctu hostes inuaderet, Victoriam, inquit, furari non est regium.

Perillus autem quidam ex amicorum numero quum filiabus dotem petisset, quinquaginta illum talenta accipere iussit. Et quū ille respondisset, decem esse satis: Tibi quidem, inquit, accipere; sed mihi nequaquam satis est dare.

Quum verò Darius innumera ei vellet

dare talenta, Asiamq; ex aquo diuidere, dixissetq; Parmenio: Ego quidem accepissem, si Alexander essem: Et ego, inquit, per Iouem, si Parmenio. Dario autem respondit, Neq; terram duos soles, neque Asiam duos reges ferre posse.

εἰκ τάλαντα, καὶ τῶ Ασίαν νείμασθαι πρὸς αὐτὸν ἔπισης· ἢ Παρμενίωνος εἰπόντος, Ελαβον ἄν, εἰ Αλέξανδρος ἤμην, Κἀγὼ νὴ Δία εἶπεν, εἰ Παρμενίων ἤμην· ἀπεκρίνατο δὲ Δαρείῳ, μήτε τῶ γῆν ἥλιους δύο, μήτε τὴν Ασίαν δύο βασιλεῖς φέρεσθαι.

Ex primis quidem potentissimiq; amicis Craterum maximo honore, Hephastionem verò amore prosequi videbatur. Nam Craterum quidem, aiebat, regem amat; sed Hephastion Alexãdrum.

Τῶν δὲ πρώτων φίλων καὶ ἑταίρων τιμᾷν μὲν ἐδόκει Κρατερὸν μάλιστα πάντων, φιλεῖν δὲ Ηφαιστίωνα. Κρατερὸς μὲν γὰρ (ἔφη) φιλοβασιλεύς ἐστι· Ηφαιστίων δὲ φιλαλέξανδρος.

Cùm à quodam maledici sibi audiret, Regium est, inquit, quum bene feceris, malè audire.

Πυθόμενος δὲ ὑπό τινος λοιδορεῖσθαι, Βασιλικὸν (ἔφη) ἐστὶν, εὖ ποιοῦντα, κακῶς ἀκούειν.

Idem quum pincerna eius phialam perdidisset auream, ac propterea vehementer timeret, ille cùm hoc intellexisset, vocauit eũ, & macte, inquit, puer, vbicunque enim erit, nostra erit. Significans se vbique regem.

Ο' αὐτὸς τοῦ οἰνοχόου αὐτοῦ ἀπολέσαντος φιάλην χρυσῆν, καὶ διὰ τοῦτο φοβουμένου, μαθὼν τοῦτο προσκαλεσάμενος, εἶπε, θάρρει, ὦ παῖ, ὅπου γὰρ ἂν ᾖς, ἡμέτερα ἐστίν. ὑποσημαίνων ὅτι πάντων κρατεῖ.

Antigono strictè admodùm tribunum exi-

Αντίγονος εἰσέφραττε χεί-

μασι

ματα σωτόνως· εἰπόντος δέ τινος, Ἀλλ' οὐκ Ἀλέξανδρος ἦν τοιοῦτος, Εἰκότως, εἶπεν. ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἐθέριζε τὴν Ἀσίαν, ἐγὼ δὲ καλαμῶμαι.

gente, quum quidam dixisset: At Alexander talis non erat: Meritò, respondit. Ille siquidem Asiam metebat, ego verò spicas lego.

Θαυμαζόντων δὲ πάντων, ὅτι γέρων γενόμενος, ἡπίως ἐχρῆτο καὶ φαύλως τοῖς φράγμασι, Πρότερον μὲν γὰρ (εἶπε) δυνάμεως ἐδεόμην, νῦν δὲ δόξης καὶ εὐνοίας.

Admirantibus autem omnibus, quòd cùm senex factus esset, benè ac mansuetè se gereret; Priùs, inquit, potentiâ mihi opus erat: nunc verò gloriâ & beneuolentiâ.

Ἀριστοδήμου δὲ τοῦ φίλων τινὸς ὂν μαγείρου γεγονέναι δοκοῦντος, συμβουλεύοντος δὲ αὐτῷ, τὴν ἀναλώματων καὶ τὴν δωρεὰν ἀφαιρεῖν, Οἱ λόγοι σου (εἶπεν) ὦ Ἀριστόδημε, ὠμοῖς ζώμασι ὄζουσιν.

Idem Aristodemo quodam ex amicis, qui natus è coquo putabatur, consulente sibi, vt sumptus muneraq; diminueret, Verba tua (inquit) Aristodeme, sus olent.

Θρασύλλου δὲ τοῦ κυνικοῦ δραχμὴν αἰτήσαντος αὐτὸν, Ἀλλ' οὐ βασιλικὸν (εἶπε) τὸ δόμα. τοῦ δὲ εἰπόντος, Οὐκοῦν τάλαντόν μοι δός, Ἀλλ' οὐ κυνικὸν (ἔφη) τὸ λῆμμα.

Thrasyllus verò cynicus quum ab eo drachmam petisset, Regi (inquit) hoc dare non conuenit. Illo rursus subiiciente, Da igitur mihi talentum, Atqui cynicum (inquit) hoc accipere non decet.

Πέμπων δὲ Δημήτριον τὸν

Demetrium autem filium magna cum classe

classe ac exercitu mittens ad Graecos liberandos, aiebat gloriam à specula Graeciae veluti faculam in totum terrarum orbem accendi.

Antigonus secundus, inuadentibus hostibus quum aliquando cederet; Non equidem (inquit) fugio, sed vtile, quod retro situm est, sequor.

Zenone autem Citieo mortuo, quem maximè philosophorum admirabatur; theatrum suorum gestorum sublatum esse aiebat.

Pyrrhus Epirotarum rex cum Romanis congressus, bis quidem victoriâ partâ, sed multis & amicorum & ducum amissis; Si vno (inquit) praelio Romanos iterum vicerimus, periimus.

Siciliae autem potiundae spe frustratus, quum illinc soluisset, ad amicos conuersus, Qualem (inquit) Romanis & Carthagi-

υἱὸν μετὰ νεῶν πολλῶν καὶ δυνάμεων ἐλευθερώσαντα τοὺς Ελληνας, ἔλεγε, τὴν δόξαν ὥσπερ ἀπὸ σκοπῆς τῆς Ελλάδος εἰς τὴν οἰκουμένην πυρσεύεσθαι.

Αντίγονος ὁ δεύτερος ὑποχωρῶν ποτὲ τοῖς πολεμιοις ἐπερχομένοις, οὐκ, ἔφη, φεύγειν, ἀλλὰ διώκειν τὸ συμφέρον ὀπίσω κείμενον.

Ζηνώνος δὲ τοῦ Κιτιέως ἀποθανόντος, ὃν μάλιστα τῶν φιλοσόφων ἐθαύμασεν, ἔλεγε, τὸ θέατρον αὐτοῦ τῶν πράξεων ἀνῃρῆσθαι.

Πύῤῥος ἐπεὶ συμβαλὼν Ρωμαίοις δὶς ἐνίκησε, πολλοὺς τῶν φίλων καὶ τῶν ἡγεμόνων ἀπολέσας, Αν ἔτι μίαν (ἔφη) μάχην Ρωμαίους νικήσωμεν, ἀπολώλαμεν.

Επεὶ δὲ Σικελίας ἀποτυχὼν ἐξέπλει, μεταστραφεὶς πρὸς τοὺς φίλους, Οἵαν (ἔφε) Ρωμαίοις καὶ Καρχηδονίοις ἀπο-

ἀπολείπομεν παλαίστραν;

Ἀκούσας δὲ, ὅτι νεανίσκοι πολλὰ βλάσφημα περὶ αὐτοῦ πίνοντες εἰρήκασιν, ἐκέλευσεν ἀχθῆναι μετ' ἡμέραν πρὸς αὐτὸν ἅπαντας. ἀχθέντων δὲ, τὸν πρῶτον ἐρώτησεν, εἰ ταῦτα εἰρήκασι περὶ αὐτοῦ; καὶ ὁ νεανίσκος, Ταῦτα (εἶπεν) ὦ βασιλεῦ· πλείονα δ' ἂν τούτων εἰρήκειμεν, εἰ πλείονα οἶνον εἴχομεν.

Θεμιστοκλῆς ἐρωτηθεὶς, πότερον Ἀχιλλεὺς ἐβούλετ' ἂν ἢ Ὅμηρος εἶναι, Σὺ δ' αὐτὸς (ἔφη) πότερον ἤθελες, ὁ νικῶν ἐν Ὀλυμπίασιν, ἢ ὁ κηρύττων τοὺς νικῶντας εἶναι;

Τῷ δὲ Σεριφίῳ πρὸς αὐτὸν εἰπόντος, ὡς οὐ δι' αὐτὸν, ἀλλὰ διὰ τὴν πόλιν ἔνδοξός ἐστιν, Ἀληθῆ λέγεις (εἶπεν·) ἀλλ' οὔτ' ἂν ἐγὼ Σεριφίος ὢν, ἐγενόμην ἔνδοξος, οὔτε σὺ Ἀθηναῖος.

Τὸν δὲ υἱὸν ἐντρυφῶντα τῇ μητρὶ, πλεῖστον Ἑλλήνων ἔλεγε

nensibus palæstram relinquimus!

Idem quum audisset, à quibusdam iuuenibus se inter compotandum multis conuitiis maledictisq; laceratum; omnes ad se die sequenti adduci iussit: quumq; adducti forent, ex primo illorum quæsiuit, vtrúmne illa de se dixissent: tum ex illis vnus: Hæc (inquit) ô rex: & multò plura his dixissemus, si plus vini habuissemus.

Themistocles interrogatus, vtrum potiùs, Achilles, an Homerus esse vellet, Tu verò (inquit) vtrum esse malles, victor in Olympicis, an victorum præco?

Seriphius autè quidam quum dixisset ei, non virtute sua, sed propter vrbis gloriam clarum esse, Vera (inquit) narras. Nam neque ego Seriphius si forem, clarus euasissem: neque tu, si Atheniensis.

Filium autem, qui matri in deliciis erat, plu-

plurimum Græcorum omnium posse colligebat. Græcis enim Athenienses, se Atheniensibus, sibi vxorem, illum matri imperare.

Idem quum ex iis, qui filiam suam vxorem petebant, diuiti probum prætulisset, virum dicebat se malle pecuniarum indigentem, quàm pecunias viri.

Prædium autem cũ venderet, proclamari iussit, bonum quoque vicinum habere.

Myronides aduersus Bœotios exercitum ducens, expeditionem Atheniensibus indixit. Sed quum hora instaret, ac turmarum præfecti dicerent, omnes nondum adesse, Adsunt (inquit) qui sunt pugnaturi: vsusq; alacritate illorum, hostem superauit.

Aristides cognomento iustus, cum Themistocle, cui inimicus erat, orator missus, Visne (inquit) ô Themistocles, in his finibus inimicitias linquamus? Nam, si vide-

δύνασθαι· τῶν γὰρ Ἑλλήνων ἄρχειν Ἀθηναίους, Ἀθηναίων δὲ ἑαυτὸν, ἑαυτοῦ δὲ τὴν ἐκείνου μητέρα, τῆς δὲ μητρὸς ἐκεῖνον.

Τῶν δὲ τὴν θυγατέρα μνωμένων αὐτοῦ, τὸν ἐπιεικῆ τοῦ πλουσίου προτιμήσας, ἄνδρα, ἔφη, ζητεῖν χρημάτων δεόμενον μᾶλλον, ἢ χρήματα ἀνδρός.

Χωρίον δὲ πωλῶν, ἐκέλευσε κηρύττειν, ὅτι καὶ γείτονα χρηστὸν ἔχει.

Μυρωνίδης παρήγγειλεν ἔξοδον Ἀθηναίοις ἐπὶ Βοιωτοὺς στρατεύων· ἐνστάσης δὲ τῆς ὥρας, καὶ τῶν λοχαγῶν λεγόντων, μηδέπω πάντας παρεῖναι, Πάρεισιν (εἶπεν) οἱ μέλλοντες μάχεσθαι. καὶ χρησάμενος αὐτοῖς προθύμοις, ἐνίκησε τοὺς πολεμίους.

Ἀριστείδης ὁ δίκαιος ἐχθρὸς ὢν τοῦ Θεμιστοκλέους, καὶ πρεσβευτὴς ἐκπεμφθεὶς σὺν αὐτῷ, Βούλει (φησὶν) ὦ Θεμιστόκλεις ἐπὶ τῶν ὅρων τὴν ἔχθραν ἀπολίπω-

λίπωμεν; αὖ γὰρ δοκῇ, πάλιν αὐτοῖς ἐπανιόντες ληψόμεθα.

Περικλῆς τοῦ φίλου τινὰ μαρτυρίας ψευδοῦς δόμενον, ἕως τοσοῦτον, ἔφησε, μέχρι τοῦ ἐμοὶ φίλος εἶναι.

Ἀλκιβιάδης ἔτι παῖς ὢν ἑλήφθη λαβεῖν ἐν παλαίστρᾳ τινὰ μὴ δυνάμενος διαφυγεῖν, ἔδακε τὴν χεῖρα τοῦ καταπαλαίοντος. εἰπόντος δὲ ἐκείνου, Δάκνεις ὡς αἱ γυναῖκες, Οὐμενοῦν (εἶπεν) ἀλλ' ὡς οἱ λέοντες.

Ἔχων δὲ κύνα πάγκαλον ἐωνημένος ἑπτακισχιλίων δραχμῶν, ἀπέκοψε αὐτοῦ τὴν οὐρὰν, Ὅπως (ἔφη) τοῦτο λέγωσιν Ἀθηναῖοι περὶ ἐμοῦ, καὶ μηδὲν ἄλλο πολυπραγμονῶσι.

Καλούμενος δὲ ὑπὸ κρίσιν θανατικὴν ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ἀπὸ Σικελίας, ἔκρυψεν ἑαυτόν. εἰπόντος δέ τινος, Οὐ πιστεύεις τὴν πατρίδι περὶ σεαυτοῦ κρίσιν; Ἐγὼ μὲν (ἔφη) οὐδὲ τῇ

bitur, quum reuersi fuerimus, illas resumemus.

Pericles amico cuidam, qui testimonium ab eo falsum cum iuramento petebat, Vsque ad aras (inquit) mihi amico esse licet.

Alcibiades adhuc puer, quum in palestra ita comprehensus ab aliquo esset, vt effugere nequiret, manum colluctantis momordit. Et quum ille dixisset, Mordes, vt femina, Minimè (inquit) sed vt leones.

Cùm autem canem pulcherrimum haberet, quem septem milibus drachmarum emerat, caudam illi amputauit, Vt Athenienses (inquiebat) hoc de me habeant quod dicant, neque in reliqua mea curiosiùs inquirant.

Quum autem ad iudicium capitale ab Athenienſibus è Sicilia vocaretur, furtim se subduxit. Et quum quidam dixisset, Non credis patriæ de te iudicaturæ? Ego quidem (ait) ne matri quidem

dem: ne fortè inscia nigrum calculum pro albo ferat.

μηδὲ, μή πως ἀγνοήσασα τὸν μέλανα βάλῃ ψῆφον ἀντὶ τῆς λευκῆς.

Lamachus quendam in turma duce errorem reprehendebat. Qui quum respondere t, Nunquam se posthac id facturum esse, Atqui in bello (inquit) bis peccare non licet.

Λάμαχος ἐπετίμα τινὶ τῶν λοχαγῶν ἁμαρτόντι· τοῦ δὲ φήσαντος, μηκέτι τοῦτο ποιήσειν, Οὐκ ἔστιν (εἶπεν) ἐν πολέμῳ δὶς ἁμαρτεῖν.

Iphicrates quum sutoris filium esse putaretur, omnibus contemptui erat. Huic cùm Harmodius, prisci illius abnepos Harmodij, ignobilitatem obiiceret, Meum quidem (inquiebat) genus à me incipit; tuum verò in te definit.

Ἰφικράτης, δοκῶν υἱὸς εἶναι σκυτοτόμου, κατεφρονεῖτο. Πρὸς δὲ Ἁρμόδιον τὸν τοῦ παλαιοῦ Ἁρμοδίου ἀπόγονον, εἰς δυσγένειαν αὐτῷ λοιδορούμενον, ἔφη, Τὸ μὲν ἐμὸν ἀπ' ἐμοῦ γένος ἄρχει, τὸ δὲ σὸν ἐν σοὶ παύει.

Chabrias dictitare solebat, formidabiliorem esse cervorum exercitum duce leone, quàm leonum cervo duce.

Χαβρίας εἰώθει λέγειν, ὅτι φοβερώτερόν ἐστιν ἐλάφων στρατόπεδον ἡγεμόνος λέοντος, ἢ λεόντων ἐλάφου.

Phocion Atheniensis quum apud populum sententiam diceret, quam illi approbarent, omnésque simul assentiri videret, ad amicos conuersus, Nũ quid mali (inquit) forsitan imprudens dixi?

Φωκίων ὁ Ἀθηναῖος ἐπεὶ λέγων ποτὲ γνώμην πρὸς τὸν δῆμον, εὐδοκίμει, καὶ πάντας ὁμαλῶς ἑώρα τὸν λόγον ἀποδεχομένους, ἐπιστραφεὶς πρὸς τοὺς φίλους εἶπεν, Οὐ δήπου κακόν τι λέγων ἐμαυτὸν λέληθα;

Δημο-

Δημοσθένους δὲ τοῦ ῥήτορος εἰπόντος, Αποκτενοῦσί σε Αθηναῖοι, ἐὰν μανῶσι· Ναὶ (εἶπεν) ἐμὲ μὲν, ἂν μανῶσι· σὲ δὲ, ἂν σωφρονῶσιν.

Αριστογείτονος δὲ τοῦ συκοφάντου μέλλοντος ἀποθνήσκειν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, κατακρίτου γεγονότος, καὶ δεομένου τὸν Φωκίωνα πρὸς αὐτὸν ἐλθεῖν, τῶν δὲ φίλων οὐκ ἐώντων πρὸς ἄνθρωπον πονηρὸν βαδίζειν, Καὶ ποῦ τὶς ἂν (εἶπεν) ἥδιον Αριστογείτονι λαλήσειεν;

Αλεξάνδρου δὲ τοῦ βασιλέως ἑκατὸν τάλαντα δωρεὰν αὐτῷ πέμψαντος, ἠρώτησε τοὺς κομίζοντας, τί δήποτε πολλῶν ὄντων Αθηναίων, αὐτῷ μόνῳ ταῦτα δίδωσιν Αλέξανδρος· εἰπόντον δὲ ἐκείνων, ὡς μόνον αὐτὸν ἡγεῖται καλὸν κἀγαθὸν εἶναι, Οὐκοῦν (ἔφη) ἐασάτω με καὶ δοκεῖν καὶ εἶναι τοιοῦτον.

Λόγου δὲ περὶ τῆς Αλεξάνδρου τελευτῆς ἐμπεσόντος

Quum verò Demosthenes orator dixisset: Te Athenienses, si insanire occœperint, necabunt: Te verò (inquit) per Iouem, si resipuerint.

Quum autem Aristogiton sycophanta condemnatus in carcere moriturus esset, rogaretq; Phocionem, vt ad se veniret, amiciq; eum ad tam improbum hominem ire non permitterent, Vbinam verò (respondit) Aristogitonem quisquam lubentiùs conueniret?

Idem, quum Alexander rex centum ipsi talenta dono misisset, eos, qui attulerant, interrogauit: Curnam, quum multi alij sint Athenienses, mihi soli hæc donat Alexander? Illis autem respondentibus, Quòd solum te bonum esse probumq; existimat: Igitur me (inquit) talem & videri & esse permittat.

Porrò quum de morte Alexandri verba incerto auctore iactaren-

starentur, oratoresq; è vestigio in suggestum prosilirent, neque morandum, sed quàm primùm bellum esse gerendum suaderent; Phocion differēdum ac certo priùs sciendum esse censebat. Si namq; (aiebat) hodiè mortuus est; cras quoque adhuc mortuus erit.

Quum Leosthenes vrbem spe praeclarâ propositâ, in bellum conicere conaretur, quae ad nomen libertatis & imperij sese efferret, Verba illius cupressis similia esse dicebat. Nam pulchra & sublimes quum sint, fructum non habent.

Antipater verò quum ab eo peteret, vt nescio quid iniusti faceret; Non potes (inquit) ô Antipater, Phocione & amico & assentatore vti.

Pisistratus Atheniensium tyrannus, quum Thrasybulus, qui eius filiam amabat, obuius eā osculatus esset, in eúmque ab vxore concitaretur, Si (inquit) τοὺς φιλοῦν-

ἀδεσπότου, καὶ τῶν ῥητόρων ἀναπηδώντων εὐθὺς ἐπὶ τὸ βῆμα, καὶ μὴ μέλλειν, ἀλλὰ πολεμεῖν ἤδη κελευόντων, ὁ Φωκίων ἠξίου περιμεῖναι καὶ γνῶναι βεβαίως. Εἰ γὰρ σήμερον (ἔφη) τέθνηκε, καὶ αὔριον ἔσται καὶ εἰσέτι τεθνηκώς.

Τοῦ δὲ Λεωσθένους εἰς τὸν πόλεμον ἐμβαλόντος τὴν πόλιν ἐλπίσι λαμπραῖς πρὸς τὸ τῆς ἐλευθερίας ὄνομα καὶ τῆς ἡγεμονίας ἐπαιρομένην, τοὺς λόγους αὐτοῦ ταῖς κυπαρίττοις ἀπείκαζε. Καλοὶ γὰρ ὄντες (ἔφη) καὶ ὑψηλοὶ, καρπὸν οὐκ ἔχουσι.

Αξιοῦντος δὲ Αντιπάτρου ποιῆσαί τι τῶν μὴ δικαίων αὐτὸν, Οὐ δύνασαι (εἶπεν) Αντίπατρε, καὶ φίλῳ Φωκίωνι χρῆσθαι, καὶ κόλακι.

Πεισίστρατος ὁ Αθηναίων τύραννος, ἐπεὶ Θρασύβουλος ἐρῶν αὐτοῦ τῆς θυγατρὸς ἐφίλησεν ἀπαντήσας, παροξυνόμενος

μενος ἐπ' αὐτὸν ὑπὸ τῆς γυναικὸς, Ἀν τοὺς * φιλοῦντας, εἶπε, μισῶμεν, τί ποιήσομεν τοὺς μισοῦντας; καὶ ἔδωκεν γυναῖκα τῷ Θρασυβούλῳ τὴν παρθένον.

Λυκοῦργος ὁ Λακεδαιμόνιος εἴθισε τοὺς πολίτας κομᾶν, λέγων, ὅτι τοὺς μὲν καλοὺς ἡ κόμη εὐπρεπεστέρους ποιεῖ, τοὺς δὲ αἰσχροὺς φοβερωτέρους.

Πρὸς δὲ τὸν κελεύοντα ποιεῖν ἐν τῇ πόλει δημοκρατίαν, Σὺ πρῶτος (εἶπεν) ἐν τῇ οἰκίᾳ σου ποίησον δημοκρατίαν.

Χαρίλλος ὁ βασιλεὺς πρὸς τὸν πυθόμενον, διὰ τί κομῶσιν οἱ Λακεδαιμόνιοι, εἶπεν, ὅτι τῶν κόσμων ἀδαπανώτατος οὗτός ἐστι.

Θεόπομπος ἔν τινι πόλει, πρὸς τὸν ἐπιδεικνύμενον τὸ τεῖχος αὐτῷ, καὶ πυνθανόμενον, εἰ δοκεῖ καλὸν καὶ ὑψηλὸν εἶναι, Οὐ δεῖ γυναικῶν, εἶπεν.

Βρασίδας ἐν μάχῃ διὰ τῆς

tas odio prosequamur, quid iis, qui oderunt, faciemus? Ac Thrasybulo quidem virginem elocauit.

* allusio ad vocem φιλεῖν, quæ & amare & osculari Græcis significat.

Lycurgus Lacedæmonius ciues nutriendæ comæ adsuefecit: pulchros enim aiebat, comâ fieri decentiores; deformes autem formidabiliores.

Et verò, qui ad democratiam in vrbe cõstituendam hortabatur: Tu igitur primus (inquit) in domo tua statue democratiam.

Charillus rex ei, qui quæsierat, cur comam Lacedæmonij gestarent, Quia ex omnibus (inquit) ornatibus hic est minimè sumptuosus.

Theopompus in quadam vrbe ei, qui sibi murum ostentabat & interrogabat, num pulcher & altus videretur, Non eget mulieribus, inquit.

Brasidas in pugna per scutum iaculo per-

cussus, & rogatus, quomodo vulneratus fuisset, Scuto (inquit) me prodente.

ἀσπίδος ἀκοντισθεὶς, καὶ ἐπερωτηθεὶς, πῶς ἐτρώθη, Προδούσης με τῆς ἀσπίδος, εἶπεν.

Agis rex dictitabat Lacedæmonios interrogare, non quot sunt, sed vbi sunt hostes.

Αγις ὁ βασιλεὺς οὐκ ἔφη τοὺς Λακεδαιμονίους ἐρωτᾶν, Πόσοι εἰσὶν, ἀλλὰ Ποῦ εἰσὶν οἱ πολέμιοι.

Cùm legatus quidam Perintho Lacedæmonem venisset, qui longissima oratione vtebatur, & cùm dicendi finem fecisset, ex eo quæreret, quid Perinthiis responderet, Quid verò, inquit, aliud, quàm te semper locutum esse, me verò tacuisse?

Πρεσβευτὴς ἐκ Περίνθου παραγενόμενος εἰς Λακεδαίμονα, ἐμακρηγόρει. ὡς δὲ ἐπαύσατο λέγων, καὶ ἠρώτα τὸν Ἄγιν τί δεῖ τοῖς Περινθίοις ἀπαγγεῖλαι, Τί δ' ἄλλο, ἔφη, ἢ ὅτι σὺ μὲν μόλις ἐπαύσω λέγειν, ἐγὼ δ' ἐσιώπων.

Homini verò improbo sæpe quærenti, quis Spartiatarum optumus esset, Qui tui dissimillimus est, inquiebat.

Πρὸς δὲ ἄνθρωπον πονηρὸν ἐρωτῶντα πολλάκις, τίς ἄριστος εἴη Σπαρτιατῶν, εἶπεν, Ὁ τύνῃ ἀνομοιότατος.

Lysander iis qui reprehendebant, quòd dolo pleraque ageret, tanquam Hercule indignum, eiusque posteris; dicebat: Quò leonina pellis non pertingit, ibi vulpinam assuendam esse.

Λύσανδρος πρὸς τοὺς ψέγοντας αὐτὸν ἐπὶ τῷ δι' ἀπάτης τὰ πολλὰ πράσσειν, ὡς ἀνάξιον τοῦ Ἡρακλέους, ἔλεγεν, ὅπου μὴ ἐφικνεῖται ἡ λεοντῆ, προσραπτέον εἶναι ἐκεῖ τὴν ἀλωπεκῆν.

Αγη-

Ἀγησίλαος νυκτὸς μέλλων κινεῖσθαι τάχος ἀναζευγνύειν ἐκ τῆς πολεμίας, καὶ τὸν ἐρώμενον ὁρᾶν ἀπολειπόμενον δι' ἀσθένειαν, καὶ δακρύοντα, Χαλεπὸν (εἶπεν) ἅμα ἐλεεῖν καὶ φρονεῖν.

Τῷ δὲ μιμουμένῳ τινὰ τῆς ἀηδόνος φωνὴν ἀκούσας ὠνόμασε καλούμενος, Αὐτὰς (εἶπεν) ἄκουκα πολλάκις.

Μενεκράτης δὲ τὸ ἰατρὸς Διὸς προσαγορευομένου, γράψας ἐπιστολὴν πρὸς αὐτὸν, Μενεκράτης Ζεὺς βασιλεῖ Ἀγησιλάῳ χαίρειν· ἀντέγραψεν, Βασιλεὺς Ἀγησίλαος Μενεκράτει ὑγιαίνειν.

Ἀποθνήσκων δὲ, τοὺς φίλους ἐκέλευσε μηδεμίαν πλάσαν μηδὲ μιμηλὰν ποιήσασθαι, τὰς εἰκόνας ἔτω προσαγορεύων. Εἰ γὰρ τι καλὸν ἔργον πεποίηκα, τοῦτό μου μνημεῖόν ἐστιν· εἰ δὲ μηδὲν, οὐδ' οἱ πάντες ἀνδριάντες.

Ἀρχίδαμος ὁ Ἀγησιλάου,

Ageſilaus nondum quum è terra hoſtili repentè caſtra moturus eſſet, videns puerũ, quem amabat, lacrymantem quòd exponi periculo imbecillitatem ſuam videret; Difficile eſt (inquit) ſimul & miſereri & ſapere.

Cùm inuitaretur vt audiret quendam qui luſcinia vocẽ imitabatur, Ipſam, (inquit) ſæpe audiui.

Menecrates verò medicus cognomento Iupiter, quum ad ipſum epiſtolam ita ſcripſiſſet: Menecrates Iupiter regi Ageſilao felicitatem: reſcripſit: Rex Ageſilaus Menecrati ſanitatem.

Idem moriens, amicos nullam ſibi neque fictam neque pictam imaginem ponere iuſſit. Si quod enim opus (inquit) bonum feci, hoc meum monumentum erit: ſin nullum, ne omnes quidem ſtatuæ.

BIBLIOTEC. RC VITTORIO E

Archidamus Ageſilai filius, quum cata-

pulta iaculum tunc primùm ex Sicilia aduectum vidisset, exclamauit: O Hercules, periit virorum virtus!

Pædaretus cùm inter trecentos, qui in ciuitate primus tum honor erat, delectus non esset, hilaris & cum risu discedens, gaudere se aiebat, quòd trecentos Sparta ciues se meliores haberet.

Eudæmonidas quum in Academia Xenocratem vidisset iam seniorem cum discipulis philosophantem, audissetque virtutem ab ipso inquiri. Quãdo ergo (inquit) illa vtetur?

Antalcidas, cùm rhetor quidam Herculis encomium lecturus esset, Quis ergo illum vituperat? inquit.

Pelopidas Epaminondæ in prætura collega, cùm quidam è militibus dixisset, In hostes incidimus; Cur magis (inquit) quàm illi in nos?

καταπελτικὸν ἰδὼν βέλος τότε πρῶτον ἐκ Σικελίας κομισθὲν, ἀνεβόησεν, Ὦ Ἡράκλεις, ἀπόλωλεν ἀνδρὸς ἀρετά.

Παιδάρετος οὐκ ἐγκριθεὶς εἰς τοὺς τριακοσίους, ἥτις ἦν ἐν τῇ πόλει πρωτεύουσα τιμὴ τῇ τάξει, ἱλαρὸς καὶ μειδιῶν ἀπήει, χαίρειν λέγων, εἰ τριακοσίους ἡ πόλις ἔχει πολίτας ἑαυτοῦ βελτίονας.

Εὐδαιμονίδας ἰδὼν ἐν ἀκαδημίᾳ Ξενοκράτην πρεσβύτερον ἤδη μετὰ τῶν μαθητῶν φιλοσοφοῦντα, καὶ πυθόμενος, ὅτι τὴν ἀρετὴν ζητεῖ, Πότε οὖν (εἶπεν) αὐτῇ χρήσεται;

Ανταλκίδας, σοφιστοῦ μέλλοντος ἀναγινώσκειν ἐγκώμιον Ἡρακλέους, ἔφη, Τίς γὰρ αὐτὸν ψέγει;

Πελοπίδας ὁ συστρατηγὸς Επαμινώνδου, εἰπόντος τινὸς τῶν στρατιωτῶν, ἐμπεπτώκαμεν εἰς τοὺς πολεμίους, Τί μᾶλλον, εἶπεν, ἢ εἰς ἡμᾶς ἐκεῖνοι;

Αγα-

Ἀγασικλῆς ὁ Λακεδαιμονίων βασιλεὺς, πρὸς τὸν εἰπόντα, πῶς ἄν τις ἀδορυφόρητος ὢν ἄρχειν ἀσφαλῶς δυναίτο, Εἰ οὕτως, ἔφη, ἄρχοι, ὥσπερ οἱ πατέρες τοῖς υἱέσιν.

Ἀγησίλαος ὁ μέγας, ἐπαινουμένου τινὸς ῥήτορος ὅτι τοὺς λόγους αὔξειν τὰ μικρὰ πράγματα, Οὐδὲ σκυτοτόμον (ἔφησεν) ἡγοῦμαι ἀγαθὸν, ὃς μικρῷ ποδὶ μεγάλα ὑποδήματα περιτίθησι.

Πρὸς δὲ τὸν ἐπιθαυμάζοντα τὴν μετριότητα τῆς ἐσθῆτος καὶ τῆς στρωμνῆς αὐτοῦ καὶ τῶν ἄλλων Λακεδαιμονίων, Ἀντὶ ταύτης (ἔφη) τῆς διαίτης, ὦ ξένε, τὴν ἐλευθερίαν ἀμώμεθα.

Θεασάμενος δὲ ὅτι τῆς Ἀσίας οἰκίαν τετραγώνοις ὡρφωμένην δοκοῖς, ἠρώτησε τὸν κεκτημένον, εἰ τετράγωνα παρ' αὐτοῖς φύεται ξύλα. Φαμένου δὲ, ἀλλὰ στρογγύλα, Τί οὖν (εἶπεν) ἐὰν τετράγωνα ᾖ, στρογγύλα ἐπιλείπει;

Agasicles rex Lacedæmoniorum ei, qui rogaret, quomodo quis absque satellitibus tutò regnare posset, Si suus (inquit) populus ita imperârit, ut parentes filiis.

Magnus Agesilaus, quodam laudante oratorem, quòd res minimas amplificare posset, Ego verò ne sutorem quidem (ait) puto bonum, qui magnos exiguo pedi calceos inducit.

Ei verò, qui cùm aliorum Lacedæmoniorum, tum suæ vestis cilique mediocritatem mirabatur, Propter hunc (inquit) frugalem, ô hospes, vivendi modum metimur libertatem.

Sed quum in Asia domus contignationem ex quadratis trabibus factam vidisset, dominum adium interrogauit, an apud ipsos quadrata nascerentur ligna? Quo negante, sed rotunda, Quid igitur? inquit: si quadrata essent, rotunda faceretis?

Interrogatus olim, quousque Laconica fines extenderentur, concussâ hastâ, Quousque (inquit) hac perueniat.

Ερωτηθεὶς δέ ποτε, ἄχρι τίνος εἰσὶν οἱ τῆς Λακωνικῆς ὅροι, τὸ δόρυ κραδάνας, εἶπεν, Ἄχρις οὗ τοῦτο φθάνοι.

Alio rogante, cur Sparta sine muro esset, ostensis ciuibus armatis, Hi sunt (inquit) Lacedemoniorum muri.

Ἄλλου δὲ ἐπιζητοῦντος, διατί ἀτείχιστος ἡ Σπάρτη, ἐπιδείξας τοὺς πολίτας ἐξωπλισμένους, Ταῦτά ἐστιν (εἶπε) τὸ Λακεδαιμονίων τεῖχος.

Cùm quidam admiraretur Laconem claudum in bellum proficisci, & equum desideraret; An ignoras (inquit) non fugientibus, sed manentibus in bello opus esse?

Θεωρήσαντός δέ τινος Λάκωνα χωλὸν ὅτι πόλεμον ἐξιόντα, καὶ ἵππον ζητοῦντος, Οὐκ οἶσθά γε (ἔφη) ὅτι οὐ φευγόντων, ἀλλὰ μενόντων ὁ πόλεμος χρείαν ἔχει;

Idem rogatus à quodam, quomodo magnam gloriam adquireret, Si mortem (inquit) contempseris.

Ἐρωτώμενος δὲ, πῶς μεγάλην δόξαν περιεποιήσατο, Θανάτου καταφρονήσας, ἔφη.

Quum autẽ nummus Persicus sagittarij notâ signatus esset, recedens dictitabat, se triginta millibus sagittariorum ab rege ex Asia pelli.

Τὸ δὲ Περσικὸν νομίσματος χάραγμα τοξότην ἔχοντος, ἀναζευγνύων ἔφη, τριακοσίοις τοξόταις ὑπὸ βασιλέως ἐξελαύνεσθαι τῆς Ἀσίας.

Quum Megarensis quidam aduersus ipsum de ciuitate sua gloriaretur, Adole-

Μεγαρέως δέ τινος περὶ τῆς πόλεως πρὸς αὐτὸν μεγαλαυχουμένου, Μειρακίου (ἔφη) οἱ λόγοι

λόγοι σου πολλῆς δυνάμεως δέονται.

Ερωτηθεὶς δὲ, πῶς ἄν τις μάλιστα παρ' ἀνθρώποις εὐδοκιμοίη, Εἰ λέγοι (εἶπε) τὰ ἄριστα, πράττοι δὲ τὰ κάλλιστα.

Επιζητοῦντος δέ τινος, τίνα δεῖ μανθάνειν τοὺς παῖδας, Ταῦτ' (εἶπεν) οἷς καὶ ἄνδρες γενόμενοι χρήσονται.

Φιλοτεκνότατος δ' ὢν διαφερόντως, λέγεται, ὅτι μικροῖς τοῖς παιδιόις, κάλαμον ἐπιβεβηκὼς, ὥσπερ ἵππον, οἴκοι συνέπαιζεν. ὀφθεὶς δ' ὑπό τινος τῶν φίλων, παρεκάλει, μηδενὶ φράζειν, πρὶν καὶ αὐτὸς πατὴρ παίδων γένηται.

Συνεχῶς δὲ αὐτοῦ τοῖς Θηβαίοις πολεμοῦντος, καὶ τρωθέντος ἐν τῇ μάχῃ, φασὶ τὸν Ανταλκίδαν εἰπεῖν, Καλὰ τὰ διδασκάλια παρὰ Θηβαίων ἀπολαμβάνεις, μὴ βουλομένους αὐτοὺς μηδ' ἐπισταμένους μά-

scens (inquit) verba tua multâ vi egent.

Idem interrogatus, quomodo quis maximè apud homines probaretur, Si dicat (inquit) optuma, & faciat honestissima.

Cuidam quærenti, quænam pueris discenda forent, Ea respondit, quibus & tam viri sunt vsuri.

Filiorum autem quum amantissimus esset, fertur vnà cum paruis pueris domi colludere solitus, & in arundine equitasse. Et cùm à quodam amicorum visus esset, petiit, ne cuiquam priùs id indicaret, quàm ipse quoque puerorum pater esset.

Cæterùm Thebanos assiduis bellis quum infestaret, ac in pugna vulneratus esset, Antalcidam dixisse ferunt: Pulchra disciplinæ præmia à Thebanis accipis, quos nolentes ac nescientes pugnare docuisti. Quare Lycurgus quoque ille antiquus,

xiquum, in legibus quæ rhetra vocantur, prohibuit aduersus eosdem sapiùs militare, ne bellare discerent.

χεσθαι διδάξας. Διὸ καὶ Λυκοῦργος ὁ παλαιὸς ἐν ταῖς καλουμέναις ῥήτραις ἀπεῖπε πολλάκις ὅπως τοὺς αὐτοὺς στρατεύῃ, ὅπως πολεμεῖν μὴ μανθάνωσιν.

Agis Archidami apud Mantineam quũ dimicare cum hostibus, quòd plures forent, prohiberetur, Necesse est (inquit) eum multis pugnare, qui multis velit imperare.

Ἄγις ὁ Ἀρχιδάμου ἐν Μαντινείᾳ κωλυόμενος διαμάχεσθαι τοῖς πολεμίοις πλείοσιν οὖσιν, εἶπεν, Ἀνάγκη πολλοῖς μάχεσθαι τὸν ἄρχειν πολλῶν βουλόμενον.

Idem quum rhetor quidam dixisset, orationem rerum omnium esse præstantissimam, Tu ergo inquit, cùm taces, nullo pretio dignus es.

Σοφιστοῦ δέ τινος εἰπόντος, Παντὸς λόγος ἐστὶ κρεῖττον, Οὐκοῦν (ἔφη) σὺ ἐκὼν σιωπᾷς, οὐδενὸς ἄξιος εἶ.

Idem quum ad Philippum legatus venisset, ac illi rex dixisset, Quid ita ne vnus tantùm venisti? Nempe ad vnum, inquit.

Πρεσβεύων δὲ μόνος ἦλθε πρὸς Φίλιππον· εἰπόντος δ' ἐκείνου, Τί τοῦτο; μόνος ἦλθες; ἔφη, Καὶ γὰρ πρὸς ἕνα.

Archidamidas, accusante quodam Hecataum rhetorem, quòd admissus ad ipsorum conuiuium nihil dixerat, Ignorare mihi videris (inquit) eum qui dicendi peritus sit, dicendi quoque tempus non ignorare.

Ἀρχιδαμίδας, μεμφομένου τινὸς Ἑκαταῖον τὸν σοφιστὴν, ὅτι συμπεμφθεὶς εἰς τὸ συνέδριον οὐδὲν εἶπεν, ἐδόκει ἔλεγεν, Ἀγνοεῖν μοι δοκεῖς (εἶπεν) ὅτι ὁ εἰδὼς λόγον, καὶ τὸν τοῦ λέγειν καιρὸν οἶδεν.

Ἀρχί-

Ἀρχίδαμος ὁ Ζευξιδάμου θυγατέρα μὲν τὴν ἡλικίαν ἔχουσαν, μαχόμενον Ἀθηναίοις, Ἢ τῇ δυνάμει πρόσθες (ἔφη) ἢ τῷ μεγέθους ὕφες.

Βίας ἐπιβουλευθεὶς ὑπὸ Ἰφικράτους τῶν Ἀθηναίων στρατηγῶν, καὶ ἐρωτώμενος ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν, τί δεῖ ποιεῖν, Τί γὰρ ἄλλο (ἔφη) ἢ ὑμᾶς μὲν σώζεσθαι, ἐμὲ δὲ μαχόμενον ἀποθανεῖν;

Δαμίνδας, Φιλίππου ἐμβαλόντος εἰς Πελοπόννησον, καὶ εἰπόντός τινος, Κινδυνεύουσι δεινὰ παθεῖν Λακεδαιμόνιοι, εἰ μὴ τὰς πρὸς αὐτὸν διαλλαγὰς ποιήσονται, Ἀνδρέγυναι (εἶπε) τί δ' ἂν πάθοιμεν δεινὸν θανάτου καταφρονήσαντες;

Δημάρατος, Ὀρόντου πρὸς αὐτὸν σκληρότερον ὁμιλήσαντος, καὶ εἰπόντός τινος, Σκληρᾶς σοι κέχρηται Ὀρόντης, ὦ Δημάρατε, Οὐδὲν ἥμαρτον εἰς ἐμὲ

Archidamus Zeuxidami filium quum vidisset cum Atheniensibus præcipitanter pugnantem, Vel adde viribus (inquit,) vel magnanimitati detrahe.

Bias insidiis ab Iphicrate Atheniensium imperatore circumuentus, militibus interrogantibus, quidnam esset faciendum, Quid aliud (inquit) quam vt vos seruemini, ego verò pugnando moriar?

Damidas, quum Philippus Peloponnesum inuasisset, ac quidam dixisset: Maximum, Lacedæmonij in periculum venient, nisi cum Philippo in gratiam redeant: Semiuir (inquit) quodnam nobis imminere potest periculum, mortem contemnentibus?

Demaratus, cùm Orontes asperiùs eum compellasset, dixissétque quidam, Asperè tecum egit Orontes, ô Demarate; Nihil in me (inquit) peccauit. Qui namque ad gratiam loquun-

loquuntur, nocent; non qui cum odio.

(εἶπεν·) οἱ γὰρ πρὸς χάριν ὁμιλοῦντες βλάπτουσιν, οὐχ οἱ μετ' ἀπεχθείας.

Quodam autem percontante, cur qui apud Lacedæmonios scutum abiiciunt, ignominiâ adficiuntur; qui verò galeas thoracásve, minimè: Quia hæc (inquit) suâ ipsorum causâ induuntur; scutum verò communis aciei gratiâ.

Ἐρωτήσαντός δέ τινος, διὰ τί τοὺς μὲν τὰς ἀσπίδας παρ' αὐτοῖς ἀποβαλόντας ἀτιμοῦσι, τοὺς δὲ τὰ κράνη καὶ τοὺς θώρακας οὐκέτι, Ὅτι (ἔφη) ταῦτα μὲν χάριν ἑαυτῶν περιτίθενται· τὴν δὲ ἀσπίδα, τῆς κοινῆς τάξεως ἕνεκα.

Quodam interrogante, cur rex quum esset, Spartam fugeret, Quia leges (inquit) illic sunt potentiores.

Πυθομένου δέ τινος, διὰ τί φεύγει τὴν Σπάρτην βασιλεὺς ὤν, Ὅτι (ἔφη) κρείσσονές εἰσιν αὐτῆς οἱ νόμοι.

Quum Persarum quidam assiduis muneribus puerum quem in deliciis habebat, abduxisset, ac diceret: O Lacon, puerum, quem amas, venatus sum: Minimè (inquit) per Deos tu quidem, sed emisti.

Τῶν δὲ Περσῶν τινὸς διὰ τὸ συνεχὲς τῆς δωρεᾶς τὸν ἐρώμενον αὐτῷ ἐπαγαγόντος, καὶ λέγοντος, Ω Λάκων τὸν ἐρώμενον, Μὰ τοὺς θεοὺς (ἔφη) οὐχὶ σύ γε, ἀλλ' ἠγόρακας.

Eudamidas Archidami filius Agidisque frater, cùm audiret philosophum, qui probare conabatur solum sapientem bonum esse

Εὐδαμίδας ὁ Ἀρχιδάμου, ἀδελφὸς δὲ Ἀγιδος, ἀκούσας φιλοσόφου διαλεχθέντος, ὅτι μόνος ἀγαθὸς σπουδαῖος ὁ σοφός

φός ἐστιν, Ο μὲν λόγος (ἔφη) θαυμαστός· ὁ δὲ λέγων, ἄπιστος· οὐ γὰρ περισεσάλπισται.

Αλεξάνδρου δὲ κηρύξαντος ἐν Ολυμπίᾳ κατιέναι τοὺς φυγάδας ἅπαντας εἰς τὴν ἰδίαν, πλὴν Θηβαίων, Ατυχὲς μὲν (ἔφη) ὦ Θηβαῖοι τὸ κήρυγμα, ἀλλ' ἔνδοξον. μόνους γὰρ ὑμᾶς φοβεῖται Αλέξανδρος.

Gnathenam aliquādo conduxerant duo, alter miles, alter verbero: & cùm eam proteruiùs lacū miles vocasset, Quid ita, inquit, an quia duo vos amnes in me confluitis, Lycus & Eleutherus? [militem lupum rapacem ac prædonem ex sic vocabat; alterum ridiculè liberum, qui seruus ab hero dudum vapulasset.]

Callistium, quam Ptochelenam cognominabant, verbero quidā conduxerat. Quia tū astas fuit, nudus ille iacebat. Conspectis plagis, Vnde tibi, miser, inquit, ha cicatrices? Puerulo mihi affusum est feruens iusculum, ait. Sic sanè, inquit, sed vitulinum. [iusculum è vituli coria factum.]

Leontium accubuerat cum amatore: conuiuio superuenit Glycera; cui cùm amator propiùs se adiunxisset, & subtristis ideò Leontium esset, ad eã cõuersus familiaris ille, sciscitatus est, Quidnam adficeret molestiâ? Hystera, inquit. [& vterum hæc vox significat & posteriorem.]

Sigillo misso Laïdem Corinthiam amator quidam ad se venire iussit. Non possum, inquit; lutum est. [lutosa via est, è luto sigillum est; lutum misit, non argentum.]

Periander dicebat, Melius esse, habere amicum vnum multi pretii, quàm multos habere nullius pretii.

Moschion dicebat, Satius esse multis pecuniis amissis, vnum amicũ cõparare; quàm amico vno amisso, multas adipisci pecunias.

Ad amicorũ conuiuia tardè, ad calamitates verò eorum celeriter accedendum esse, Chilo ille sapiens dixit.

Aristoteles interro-

Λεόντιον κατακειμένη μετ' ἐραστοῦ, ἐπεισελθούσης εἰς τὸ συμπόσιον Γλυκέρας, καὶ τοῦ ἐραστοῦ αὐτῆς ταύτῃ μᾶλλον προσέχοντος κατάστυγνος ἦν. ὡς δ' ἐπιστρέψας ὁ γνώριμος αὐτὴν ἠρώτησε, Τί λυπεῖται; Ἡ ὑστέρα με λυπεῖ, ἔφη.

Πρὸς Λαΐδα τὴν Κορινθίαν ἐραστὴς ἀποσφράγισμα πέμψας ἐκέλευε παραγίνεσθαι· ἡ δ' Οὐ δύναμαι, εἶπε, πηλός ἐστι.

Περίανδρος ἔπεν, ἄμεινον εἶναι, φίλον ἔχειν πολλοῦ ἄξιον, ἢ πολλοὺς μηδενὸς ἀξίους.

Μοσχίων ἔλεγε, βέλτιον εἶναι, πολλὰ χρήματα ἀπολέσαντα, ἕνα φίλον κτήσασθαι, ἢ ἕνα φίλον ἀπολέσαντα, πολλὰ χρήματα κτήσασθαι.

Ἐπὶ μὲν τὰ δεῖπνα τῶν φίλων βραδέως, ἐπὶ δὲ τὰς ἀτυχίας ταχέως πορευτέον, ἔφη Χίλων ὁ σοφός.

Αριστοτέλης ἐρωτηθεὶς, τίς ἐπι-

ἐπιτήδειος πρὸς φιλίαν; Ὁ πλεῖστα, ἔφη, ἀδικεῖσθαι δυνάμενος.

Ἀντισθένης ἔλεγεν· ὥσπερ τὰς ἑταίρας τἀγαθὰ πάντα εὔχεσθαι τοῖς ἐραστοῖς παρεῖναι, πλὴν νοῦ καὶ φρονήσεως, οὕτω καὶ τοὺς κόλακας, οἷς συνείσι.

Πλούταρχος ἔλεγεν, Οὔτε παρὰ νεκροῦ ὁμιλίαν, οὔτε παρὰ φιλαργύρου χάριν δεῖν ἐπιζητεῖν.

Λάκων ἐρωτηθεὶς, τί παρέχει παιδαγωγῶν, Τὰ καλὰ, ἔφη, τοῖς παισὶν ἡδέα ποιῶν.

Ναζιανζηνὸς ἔφησε, πολλῷ βέλτιον εἶναι, καὶ τοὺς ἀξίους ὀρέγειν καὶ τοῖς ἀναξίοις, ἢ τοὺς ἀξίους ἀποστερεῖν δέῃ.

Βασίλειος ἔλεγε, τὸν τὰ ἑτέρου λαμβάνοντα, καὶ ἑτέροις διδόντα, οὐκ ἐλεῆσαι, ἀλλὰ καὶ ὑπερφυᾶ ἀδικίαν τοῦ ἔχοντος.

Ἰσίδωρος ἔφη, βίον ἄνευ λόγου μᾶλλον ὠφελεῖν ψυχάν, ἢ λόγον ἄνευ βίου.

gatus, quis esset idoneus ad amicitiam? Qui, inquit, plurimas iniurias ferre potest.

Antisthenes aiebat, vt meretrices bona omnia, praeter mentem & prudẽtiam, suis amatoribus imprecantur; eodem modo & adulatores iis quibuscum versantur.

Plutarchus dicebat, Neque à mortuo colloquium, neque ab homine auaro beneficium expectandum esse.

Laco interrogatus, quid vtilitatis adferret pueris, quos instituebat, Facio, inquit, vt honesta eis fiãt suauia.

Nazianzenus dixit, Multo melius esse, propter dignos etiam indignis benefacere; quã beneficiis priuare dignos metu indignorũ.

Basilius dixit, Illum, qui aliena rapit, & largitur aliis, non misericordiam, sed extremam iniustitiam exercuisse.

Isidorus dicebat, Vitam sine sermone plus iuuare posse, quàm sermonem sine vita.

Charillus interrogatus, quam arbitraretur optumam Remp. respondit, In qua plurimi ciues inter se de virtute decertant, citra seditionem.

Quum astrologus quidam in foro stellas in tabella quadam depictas monstraret, atq; diceret, En tibi hic stellas errantes: audiens Diogenes, Ne mentiare, inquit, bone vir: stellæ enim non errant, sed illi, ostensis illis qui adsidebant.

Lacones in conuiuiis publicis (quæ frugalissima instituebant, vt frugalitati inde iuuẽtus adsuefieret) carminum vtebantur ratione, quæ vel laudes essent eorum, qui generosè vixissent, ac pro patria mortui essent; vel vituperationes eorum, qui timidi fuissent. Instituebant autem tres choros secundùm tres ætates: quorum primus, qui senior erat, canebat, Nos olim validi fuimus iuuenes. *secundus florentis ætatis respondebat,* Nos

Χάριλλος ἐρωτηθεὶς, τίνα νομίζει πολιτείαν ἀρίστην, ἔφη, Ἐν ᾗ περὶ ἀρετῆς πλεῖστοι πολιτευόμενοι πρὸς ἀλλήλους, ἄνευ στάσεως ἀγωνίζωνται.

Ἀστρολόγου τινὸς κατ' ἀγορὰν ἐπιδεικνύντος ἔν τινι πινακίῳ καταγράφους τοὺς ἀστέρας, καὶ φάσκοντος, ὅτι οὗτοί εἰσιν οἱ πλανώμενοι τῶν ἀστέρων, Διογένης ἐπακούσας, Μὴ ψεύδου, εἶπεν, ὦ ἑταῖρε· οὐ γὰρ οὗτοί εἰσιν οἱ πλανώμενοι, ἀλλὰ οὗτοι, δείξας αὐτῷ τοὺς παρακαθεζομένους.

Οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐν τοῖς συσσιτίοις (ἃ μὲν λιτὰ ἦν, ἵνα οἱ νέοι ἐθίζωνται μηδέποτε γίνεσθαι πλήρεις) περὶ τὰ μέλη ἐσπούδαζον· ἃ μὲν οὐδὲν ἕτερον εἶχεν, ἢ ἐπαίνους τῶν γενναικῶς ζησάντων, καὶ ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθανόντων, ἢ ψόγους τῶν τρεσάντων. Τριῶν δὲ χορῶν ὄντων κατὰ τὰς τρεῖς ἡλικίας· ὁ μὲν τῶν γερόντων, ἀρχόμενος ᾖδεν,

Ἄμες

Ἆμες ποτ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι. εἶτα ὁ τῶν ἀκραζόντων ἀνδρῶν ἀμειβόμενος, Ἆμες δὲ γ' ἐσμὲν· ἂν δὲ θέλῃς, αὐγάσδεο. ὁ δὲ τρίτος ὁ τῶν παίδων, Ἆμες δὲ γ' ἐσθόμεθα πολλῷ κάῤῥονες.

Πρέπει (ὥσπερ τὶς νουνεχόντως εἶπε) τὸ συμπόσιον εἶναι ὅμοιον τοῖς γράμμασιν, ὧν τὰ μὲν ἐστι φωνήεντα, τὰ δὲ ἡμίφωνα, τὰ δὲ ἄφωνα. Φωνήεντα μέν εἰσιν οἱ γέροντες καὶ οἱ πεπαιδευμένοι καὶ οἱ φρόνιμοι καὶ οἱ ἔμπειροι. ἡμίφωνα δέ εἰσιν οἱ νεώτεροι, οἱ ἐρωτώμενοι, συντόμως καὶ κοσμίως ὑποκρινέσθωσαν· οὐδὲ ἐρωτώμενοι, ἔστωσαν ἄφωνοι, οὐδὲ τοῖς ἄλλοις λέγουσι παρενοχλείτωσαν.

Ἐπίκτητος ἔλεγεν, Ὅπου τὸ συμφέρον, ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβές.

Θαλῆς ἐρωτηθεὶς τί πρεσβύτατον τῶν ὄντων; ὁ θεὸς, ἔλεγεν, ὅτι ἀγένητος. Τί κάλλιστον; κόσμος, εἶπε· ποίημα γὰρ θεοῦ.

autem sumus; ac si vis, contemplare. *tertius puerorum cantabat*; At nos erimus multo fortiores.

Conuiuium (vt quidam sapienter dixit) sit simile Alphabeto, in quo sunt literæ vocales, semiuocales & mutæ. Vocales sunt senes docti, prudentes, vsu periti. Semiuocales sunt iuuenes; qui interrogati, breuiter & modestè, respondeant: non interrogati, sint muti, nec alios loquentes interpellent.

Epictetus dicere solitus est, Vbi vtilitas est, ibi etiam est pietas: hoc est, vbi lucrum aliquod appâret, ibi homines præ se ferunt, & simulant pietatem.

Thales interrogatus, Quid esset omnium vetustissimum? respondit, Deus; ideò quòd numquam esse cœpit. Quid esset pulcerrimum? ait, Mundus: est enim opus Dei. Quid maximũ? Locus: capit enim omnia. Quid velocissimum?

mum? Mens: discurrit enim per vniuersa. Quid robustissimum? Necessitas siue fatum: superat enim omnia. Quid sapiëtissimum? Tempus: nam inuenit omnia.

Τί μέγιστον; τόπος· ἅπαντα γὰρ χωρεῖ. τί τάχιστον; νοῦς· διὰ παντὸς γὰρ ἔρχεται. τί ἰσχυρότατον; ἡ ἀνάγκη· κρατεῖ γὰρ πάντων. τί σοφώτατον; ὁ χρόνος, ἔφη. εὑρίσκει γὰρ πάντα.

Isocrates dicebat, eos quibus pulchrum corpus est, & anima mala; bonam habere nauim, sed malum gubernatorem.

Ἰσοκράτης ἔλεγε, τοὺς καλὸν ἔχοντας σῶμα, καὶ ψυχὴν κακὴν, καλὴν ἔχειν ναῦν, καὶ κακὸν κυβερνήτην.

Qui superiores se respicit (dixit Chrysostomus) numquam videre potest, quàm diues sit. Verùm oportet suâ sorte contentum esse, & Deo gratias agere.

Ὁ πρὸς τοὺς ὑπερέχοντας βλέπων, ἔφη Χρυσόστομος, τῆς ἑαυτοῦ εὐπορίας, οὐδέποτε δύναται λαβεῖν αἴσθησιν, ἀλλὰ χρὴ αὐτάρκως πρὸς τὰ ἴδια ἔχειν, καὶ εὐχαριστεῖν τῷ θεῷ.

Idem dixit: Christus inquit, Querite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hec omnia adiicientur vobis. Nos verò inuertimus ordinem, & quærimus terram & bona terrena: quare nec hæc habemus nec illa.

Ὁ αὐτὸς ἔλεγε· φησὶν ὁ Χριστός, ζητεῖτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν. ἡμεῖς δὲ τὴν τάξιν ἀντιστρέφομεν, καὶ ζητοῦμεν τὴν γῆν, καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ ἀγαθά. διὰ τοῦτο ἔστε ταῦτα, ἔστε ἐκεῖνα ἔχομεν.

Σθένις

Στρουθίον ποτὲ διωκομένου ὑπὸ ἱέρακος, καὶ εἰς ἅπαντας εἰς τοὺς τοῦ Ξενοκράτους κόλπους, καταφύσας μεθῆκεν, εἰπὼν, τὸν ἱκέτην δεῖν μὴ ἐκδιδόναι.

Μηδ' ἱκέτας ἀδικεῖν, ἱκέται ἱερόσυλοί τε καὶ ἄγνοι.

Φιλήμων εἰπεῖν εἴωθε, Ὡς κακῶς ἔχει ἰατρὸς, οὐ κακῶς μηδεὶς ἔχῃ.

Βασίλειος εἶπεν· Ἐάν τις τὸ κακὸν ἐν προφάσει τοῦ ἀγαθοῦ ποιῇ, διπλασίου τιμωρίας ἐστὶν ἄξιος.

Ἀντιφάνης εἶπε, Τὰ πονηρὰ κέρδη τοὺς μὲν ἡδονὰς ἔχειν μικρὰς, τοὺς δὲ λύπας μακρὰς.

Βιάντα ἐρωτηθεὶς, ποῖος τῶν θανάτων κακὸς; ἔφη, Ὁ ἀπὸ τῶν νόμων ἐπαγόμενος.

Καταγωγῇ (ὡς Θεμίστιος ἔφη) ἔοικεν ὁ γεηγενικὸς θάνατος· ἐκβολῇ δὲ καὶ ναυαγίῳ ἔοικεν ὁ τῶν νέων· ἐκπίπτει γὰρ ἡ ψυχὴ βίᾳ συντριβομένου τοῦ σώματος.

Quum aliquando passer accipitri futurus praeda se in Xenocratis sinum abdidisset, texit eum ac fouit, dicens, Non oportere supplicem prodere. huc pertinet versiculus:

Non violandus erit supplex, facer esse putetur.

Philemon dicere solitus est: Quàm malè habet medicus, si malè nullus habet.

Basilius dicebat: Si quis scelera perpetrat virtutis praetextu, duplici poenâ dignus est.

Antiphanes dixit, Mala lucra breues habere voluptates, dolores verò longos.

Bias interrogatus, quanam esset mala mors, respondit, Quae legibus infertur.

Diuersorio (vt Themistius dixit) mors senilis similis est: iuuenilis autem tanquam eiectio & naufragium est. Elabitur enim anima violenter contrito corpore.

Chry-

Chrysostomus dixit: Gaudendum esse morte, siue quis sit iuuenis, quòd statim liberatus sit huius vitæ malis; siue senex, quòd rebus, quæ in vita optandæ videntur, ad satietatem vsque fruitus abierit.

Epictetus dixit: Quemadmodum in paruo humiliq; grabato angustè cubare hominem sanum, melius est; quàm in amplo lecto se volutantem agrotare: sic & in exigua fortuna melius est, sese contrahentem læto animo essi, quàm in magna fortuna tristem.

Anaxagoras cuidã se ita compellãti, Nulláne tibi patriæ cura est? dixit, Mihi verò patriæ curæ, & quidem summé est; digitũ in cœlum intendens.

Chrysostomus dixit, Turpem sermonem esse vehiculum scortationis. Nam orationem esse viam ducentem ad rem.

Idem dixit, Illos, qui sæpè peccant, nec

Χρυσόστομος ἔφη· Δεῖν τῷ θανάτῳ χαίρειν, ἂν μὲν νέος, ὅτι ταχέως ἀπηλλάγη τῶν ἐν μέσῳ κακῶν· ἂν δὲ πρεσβύτερος, ὅτι ὃ δοκεῖ ποθεινὸν εἶναι, τοῦτο μετὰ κόρου λαβὼν ἀπῆλθεν.

Επίκτητος ἔλεγεν· Ὥσπερ ἐπὶ σμικροῦ σκίμποδος θλιβόμενον ὑγιαίνειν ἄμεινον, ἢ ἐπὶ πλατείας κλίνης κυλινδρούμενον νοσεῖν· οὕτω καὶ ἐν μικρᾷ περιουσίᾳ βέλτιον συστελλόμενον εὐθυμεῖν, ἢ ἐν μεγάλῃ τυγχάνοντα δυσθυμεῖν.

Αναξαγόρας πρὸς τὸν εἰπόντα, Οὐδέν σοι μέλει τῆς πατρίδος; Εὐφήμει, ἔφη, ἐμοὶ γὰρ καὶ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος· δείξας τὸν οὐρανόν.

Χρυσόστομος ἔφη, αἰσχρολογίαν εἶναι ὄχημα τῆς πορνείας· τοὺς γὰρ λόγους, τῶν πραγμάτων εἶναι ὁδούς.

Ὁ αὐτὸς ἔλεγε, Τοὺς πολλὰ πταίοντας καὶ μὴ κολαζομένους, φο-

φοβεῖσθαι Ϲ δεδοικέναι ὀφείλειν· αὔξεσθαι γὰρ αὐτοῖς τὰ τῆς τιμωρίας διὰ τῆς μακροθυμίας τὰ θεῖα.

Αἴσωπος ἔφη, δύο πήρας ἕκαστον ἡμῶν ἐπιφέρειν· τὴν μὲν ἔμπροσθεν, τὴν δ' ὄπισθεν, καὶ εἰς μὲν τὴν ἔμπροσθεν ἀποτιθέναι τὰ τῶν ἄλλων ἁμαρτήματα, εἰς δὲ τὴν ὄπισθεν τὰ ἑαυτῶν.

Βραδὺ, ὡς ἔφη Ναζιάνζηνος, πρὸς ὑπόνοιαν κακῆς, τὸ πρὸς κακίαν δυσκίνητον.

Σιμωνίδης ἐρωτηθεὶς πότερον αἱρετώτερον, πλοῦτος ἢ σοφία, Οὐκ οἶδα, ἔφη, ὁρῶ γὰρ τοὺς σοφοὺς ὀπὶ τοὺς τῶν πλουσίων θύρας φοιτῶντας· σημαίνων τοὺς φιλοσόφους λόγοις μὲν τὸν πλοῦτον καταφρονῆσαι, ἔργοις δὲ ἐπιθυμῆσαι.

puniuntur, metuere sibi & vereri debere: augeri enim ipsis supplicia per supplicij tarditatem & longanimitatem diuinam.

Æsopus dixit, singulos mortales binas habere manticas, alteram ante pectus, alteram à scapulis tergo propendentem. Sed in priorem, inquit, aliena vitia immittimus, in posteriorē nostra. Hinc illud Catulli: Sed nō videmus manticæ quod in tergo est.

Tardus est, vt Nazianzenus dixit, ad malī suspicionem, qui ad malum egrè impellitur.

Simonides interrogatus, vtra res esset optabilior, diuitiæ an sapiētia, Dubito, inquit, vt qui videam, sapientes frequentare diuitum fores: innuēs philosophos verbis quidem cōtemnere diuitias, sed re tamen eas appetere.

FINIS.

APOPHTHEGMATA LATINA.

Ad nobiliſsimum ſpectatiſsimumque virum, D. IOHAN. WITTENHORSTIVM, Dominum Sonsfelti, Drongelæ &c. illuſtriſsimi Cliuiæ Ducis in Biſlich, Haeffen & Meer Dynaſtam.

In Librvm Apophthegmatvm Gerærdi Tvningii.

Innvmera eximio nobis hic parta libello
Munera, Tvningi, ſunt tua, nec tua ſunt.
Non tua, quæ veterum prius edidit atque recentum
Scriptorum variis inclita turba locis.
Sed tua, quippe tuo congeſta labore, ſed & nunc
Illa meri flores, mel perbibenda merum.
Accipimus, Tvningi, animo tua munera grato;
Nam ſua dat, dare qui ſic aliena poteſt.

D. P. Torſæus.

Coniunctiſſimo collegæ, & viro ad humanitatem nato Gerærdo Tvningio I.C. ordinario legum Profeſſori in Academia Leidenſi.

Collega fido iuncte mecum fœdere,
Sanctoque amore nulla quem ſoluet dies,
Dum lucis aura veſcar, & ſanæ fruar
Vigore mentis: crimen ingrati foret
Haud expiandum febribus luſtralibus,
Si veſter abſque commeatu carminis
Noſtri liber prodiret in proſcenium
Famæ ferentis. i ſecunda quo vocat
Docta cohortis aura. non fruſtra tibi
Sublime pectus indidit cœli fauor,
Mentemque celſis inciram paratibus

Non

Non vt cupido auara fulgentis luti
Sensus tuos teneret affixos humi
De more plebis, quæ velut seruum pecus
Tanti putatur esse, quantum possidet
Auri vel auri. non vt in celso gradu
Laboriosus te locaret ambitus.
Mauis honores promereri, dum studes
Par his videri, quàm per abiectas preces
Grassari ad alta dignitatum culmina.
Paruo beatus, sorte lætus & tua
Regum tiaras purpuramque præteris
Splendore mentis. carus vnicè viris,
Qui laude vera, non inanibus notis
Ingenia sensere haud pigenda sæculo.
Talem fuisse fama te fauens feret,
Dignúmque luce posterorum. si diu
Lateque victrix Musa nostra luridum
Vitabit orcum, te nepotum gens sciet,
Et ipse liuor confitebitur palàm
Fuisse semper optimarum partium.
Sed quàm sit animus integer vitæ tibi,
Labisque purus, testis hic erit liber,
Qui nunc in oras lucis exit affluens
Mero lepôre, dicta magnorum virûm
Complexus in se, dicta queis perennitas
Debetur, atque nescium decus mori.
Te præbitore gens Latini nominis,
Gens Graia, gens Ibera, nec Celtæ minus
Iam sunt adepti quod viritim publico
Teratur vsu, quodque cum lubentia

Fauente voluat liberalis indoles,
Figatque menti. qualis est oratio
Talis vir ipse est. sermo mentis est typus.
Sed vt disertos acer exercet labor
Fandique cura: sic adest maior Venus
Dictis acutè. sæpe festiui sales
Vitæ periclà depulerunt, & reos
A tristiori liberauerunt nota.
Ceu latiori surgit arbos augmine
Quam terra mater sponte producit sua
Labore nullo: sic lepores & ioci
Repente fusi vim vigentis ingeni
Mentemque. natiuumque lumen arguunt
Magis perenni dictione, quam frequens
Litura supplet, & refingit anxiam
Stilus per artem, ne quid incoctum nimis
Aures tenellas lædat audientium,
Ludibrium. ve debeat lectoribus.
Hæc absque fuco more maiorum patent
Recluſa mentis claustra. non enim locum
Mimo relinquit effluens occasio,
Quæ sola doctis elaborat gratiam
Geniumque dicti. ipsa negligentia
Formæ decorem monstrat euidentius,
Quàm diligens cultura. dulce tunc olet
Virgo proba & pudica, quando nil olet.
Natiua pulchritudo, quæ suo nitet
Splendore simplex, artis & fucis haud eget.

Scripsi sine dolo D. BAVDIVS.

GERÆRDO TVNINGIO
IVRISCONSVLTORVM ELOQVENTISSIMO,
ELOQVENTIVM IVRISCONSVLTISSIMO;
cùm libros Apophthegmatum publicaret.

DVM tu ausu egregio, & tentatâ ab Cæsare pennâ,
Illinc æternis dicta diserta libris;
Terrarum magno quondam cum Principe certas,
Haud equidem ferro, sed viribus ingenij.
Sancta fuit toto maiestas Iulia mundo,
Nec tantùm Latio debuit ore legi.
Battauicam virtus tua docte Tuninge papyrum,
Quinque legi populis atque placere dedit.
Scilicet indomitum mens ignea Cæsarum orbem
Subdere, non illum nata docere fuit.
Parcite Romulidæ, peritura parcite laudi.
Heu! vbi nunc tanti nominis vmbra latet?
Vt fastu Batauos Romana potentia vincat,
Fructiferâ tamen est simplicitate minor.
Hic habet & Gallus, simul & quod discat iberus,
Aspicis & Graio prodita sensa sono.
Hic mirare tuos vetus & noua Roma lepores,
Hic videat scenas vita legatque suas.
Tot Veneres, tot linguarum pigmenta bonarum,
Mirandum est vno quî coiere iugo.
Quere, quod inuenias, vbicunque; hic quære, quod optas:
Aut hic, aut nusquam vincere vota potes.

Iacobus Lettingius.

QVISQVIS Bilbilicos ſales ſequutus
Scomma ſtrinxerit in meos Batauos;
Aurémq; illepidam atque inelegantem
Aurem dicere ſuſtinet Batauam:
Peccat largiter, & nimis proterue
Gaudet ſcommate Celtiberiano.
Haud vidi magis. Hîc tot erudita
Nata corcula, quæ catas Athenas,
Et Romam quoque prouocare poſſint.
Vt dicam breuiter: Batana Seiren,
Primi nominis auctor ille Eraſmus,
Rotæ natus ad aggerem ille Eraſmus,
Vicit opprobrium, iocumq; vulgi.
Aurem ſcilicet exuit Batauam
Secundus tuus Haga, plurimíque
Heroes procerésque litterati:
Quos inter meus eminet Tuningus,
Quem Leyda extulit. Ecce, quæ propines
Muſſa è Socraticis petita cellis,
Apophthegmata plurium virorum,
Apophthegmata quinque nationum;
Non quidem omnia, ſed probatiora:
Quæ multo ſale, nec tamen proterue,
Queque acumine maximè placerent,
Et quæ terſerat aure diligenti,
Non iſtâ illepidâ atque inelegantí,
Qualem non benè dixeris Batauam.
Quamquam, qui volet, exprobret: Tuningum
Hæc à ſcommate Celtiberiano
Collectanea Dicta liberabunt.

I A-

IANI RVTGERSII
Ad eadem GER. TVNINGII Apophthegmata.

HVC ades, ô, quisquis Batauas lustrabis arenas,
Hic vbi Libertas illa paterna valet,
Seu celerem Rhodanum, gelidum seu deseris Istrum,
Seu fugis aurifero regna beata Tago,
Seu rerum dominæ linquentem mœnia Romæ
Excipiet portu terra Batava suo.
Huc ades, & specta populus incognita vestris,
Et Lugdunensi si quid in vrbe latet.
Sed nimium turres, nimium ne respice moles,
Quas struit in luxus ambitiosa suos.
Est aliquid maius, longeq; potentius illis.
Hic posuit sanctum culta Minerua larem.
Hic sunt perpetuis notissima nomina chartis,
Quæ fouet aterno Fama beata sinu.
Tuq; adeò, cuius totum laus fusa per orbem
Implenit titulis Selis viramq; domum:
Ad cuius Famæ radios excita iuuentus
Sustinuit patriam deseruisse suam.
O quoties aliquis, cùm te, Tuninge notaret,
Hic est hic Batauæ gloria gentis, ait!
Tu quoque si vestras hospes rediturus in vrbes
Narrabis genti non benè nota tua,
Hoc quoque dic, Inter Batauæ miracula terræ
Insignem variâ vidimus arte virum,
Qui foret & Gallus, simul & Romanus, & Vmber,
Quem dixit ciuem Gracia docta suum.
Si negat hoc aliquid; dic, Cùm foret ille Batauus,
Quod vix posteritas credet, Iberus erat.

EIVSDEM

Ad eundem: Quòd ſex menſibus accuratiſſimè Latinam linguam didicerit, vno triennio totum ſtudiorum curſum abſoluerit.

IAM tibi ter ternos totidemq; abſumſerat annos
Deſiuit, & gelida mortis imago quies:
Et poteras iuuenis & vir, Tuninge, videri;
Veſtibat primas hiſpida barba genas;
Cùm tua degenerem mens indignata quietem
Non tulit vlterius otia fœda ſequi.
Hactenus, exclamas, vitam ſectamur inertem.
Nunc aliò puppim ventus & aura vocant.
Nec mora, Tuninge, Latias accingeris artes,
(Nec minus eſt cura Gracia docta tibi)
Aggrederis linguam, ſexto tibi menſe peracta eſt:
Vix alius ſextâ diſcere meſſe ſuit.
Iam ſtupet Auſoniâ Britannus te voce loquentem,
Cùm tibi per leges impetus ire ſubit
Hac quoque qua Latias inſcripta eſt pagina leges
Bis tibi quindeno cognita menſe fuit.
Quinetiam tantus iungebas otia curis,
Hoc tua, Tuninge, vt dextera ſcribat opus.
Otia profuerunt. tua per diſpendia creſcis.
Vt tibi ſint lucro, dicta damna ſubis.

APOPHTHEGMATA LATINA.

C. IVLIVS CÆSAR cùm Romæ maximi pontificis dignitatem ambiret, competitore Q. Catulo primæ apud Romanos dignitatis ac potentiæ viro, matri ipsum ad fores deducenti, Hodie, inquit, ô mater, aut pontificem maximum habebis filium, aut exulem.

CVM in Alpibus oppidulum quoddam frigidum præteriret; ambigentibus amicis, an illîc etiam essent seditiones, contentionesque de principatu, substitit, ac secum aliquamdiu cogitauit. mox, Mallem, inquit, hîc primus esse, quàm Romæ secundus. Hoc nimirum est, quod à Lucano poëta scribitur, nec Cæsarem potuisse pati priorem, nec Pompeium potuisse ferre parem.

PROFERENTIBVS in medium, quòd Sylla dictaturam deposuisset, cùm Cæsar perpetuam gereret, quod minimum aberat à tyrannide, respondit; Syllam nescisse litteras, eoq. dictaturam deposuisse. Dictant Grammatici discipulis, cùm præeunt, aut recitant

ſcribenda: huc alludens, dixit, illum neſciſſe litteras.

POMPEIAM vxorem, quòd ſiniſtrâ famâ laboraret, quaſi cum Clodio rem habuiſſet, repudiauit quidem. Cæterùm cùm Clodius hoc nomine reus perageretur, Cæſar citatus teſtis, nihil mali de vxore dixit. At cùm accuſator diceret: Cur igitur cum illa feciſti diuortium? Quoniam oportet, inquit, Cæſaris vxorem etiam à calumnia puram eſſe.

CVM ex Gallia prouincia aduerſus Pompeium tenderet, ad Rubiconem amnem cunctanti oſtentum tale factum eſt: Quidam eximiâ magnitudine & formâ, in proximo ſedens, repente apparuit, & raptâ ab æneatore tubâ proſiluit ad flumen: & ingenti ſpiritu claſſicum exorſus pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæſar: Eatur (inquit) quò Deorum oſtenta & inimicorum iniquitas vocat; Iacta eſt alea. ſignificans ſe de ſumma rerum velle periclitari. Is enim fluuius Galliam ab Italia dirimit.

CVM Pompeius, relictâ Româ, perfugiſſet ad mare, Metellus ærario præfectus, Cæſari volenti illînc pecunias tollere, obſtitit, & ærarium clauſit. At Cæſar illi mortem mina-

minatus eſt. Ea vox cùm Metellum reddidiſſet attonitum: Hoc, inquit, ô adoleſcens, dictu mihi difficilius fuit, quàm factu: ſentiens ſe vel nutu poſſe, quem vellet, occidere, cùm ſecum duceret armatas cohortes.

PVGNA ad Dyrrachium commiſsâ pulſus, non inſtante Pompeio, negauit eum vincere ſcire.

CVM Pompeius inſtructam aciem apud Pharſalum, inibi conſiſtere, & hoſtem operiri iuſſiſſet, Cæſar dixit, illum erraſſe, qui vim, impetum ac diuinum afflatum animorum ad incurſionem paratorum morâ relaxaſſet.

CVM Pharnacem primo congreſſu viciſſet, amicis ſcripſit, *Veni, vidi, vici*; ſummam rei geſtæ celeritatem indicans.

POSTEAQVAM milites, qui Scipionem in Africa ſequebantur, fugiſſent, & Cato victus ſibi necem Vticæ conſciſſet, Inuideo, inquit Cæſar, ô Cato, tibi mortem iſtam, quando tu mihi ſalutem tuam inuidiſti. Exiſtimabat nimirum ſibi ſummæ gloriæ futurum, ſi vir tantus, cùm bello victus eſſet, ipſi vitam deberet.

NONNVLLI quoniam ſuſpectos habe-

bant Antonium ac Dolabellam, monebant, vt ab illis sibi caueret. At ille: Non istos, inquit, metuo rubicundos & obesos, sed graciles illos ac pallidos; ostenso Bruto ac Cassio. Nec fefellit illum suspicio. Ab illis enim occisus est.

CVM inter cœnandum ortus esset sermo, quod genus mortis esset optumum, incunctanter respondit, Inopinatum: & quod optimum iudicauit, ipsi contigit.

IN prœlio quodam, Martiæ legionis aquiliferum iam ad fugam conuersum, faucibus apprehensum in contrariam retraxit partem; dextrâque ad hostem porrectâ: Quorsum, inquit, tu abis? Illîc sunt, cum quibus dimicamus.

CVM triumphans subsellia tribunicia præteriret, Pontius Aquila non assurrexit vnus omnium. Id adeò indignè tulit, vt proclamârit: Repete ergo, Aquila, à me Remp. tribunus: Nec deinde per continuos aliquot dies cuiquam quidquam pollicitus est, nisi sub hac exceptione: Si tamen per Pontium Aquilam licuerit.

QVONIAM Cæsar multos exteros in senatum allegerat, libellus propositus est eiusmo-

eiuſmodi: Bonum factum, ſi quis ſenatori nouo curiam monſtrare velit.

Cvm vndique viderentur imminere inſidiæ, atque admoneretur, vt ſibi caueret, reſpondit: Satius ſubire ſemel, quàm ſemper cauere.

Post attritos Tigurinos ad vrbem quandam ſociorum proficiſcens, cùm audiſſet Heluetios in itinere occurrere; congregatis copiis, inſtructaque acie, equus illius, cui ſolebat inſidere, adductus eſt: Hoc, inquit, poſt victoriam vtar in perſequendis hoſtibus: & pedes aggreſſus eſt Heluetios.

Pomponio militi vulnus oſtentanti ore exceptum in ſeditione Sulpiciana, quod ſe paſſum pro Cæſare pugnantem gloriabatur: Ne vnquam fugiens reſpexeris, inquit.

Idem, cùm teſtis ad exaggerandam iniuriam diceret, femina ſua à reo ferro petita: Quid enim faceret, inquit, cùm tu galeam & loricam haberes?

Idem Metello obſiſtenti, ne pecunias ab ærario tolleret, ac leges id fieri vetantes proferenti; Non idem, inquit, armorum ac legum tempus eſt.

Sylla præturam adeptus comminatus

eſt Cæſari, ſe ſuâ in illum poteſtate vſurum: Iure, inquit Cæſar ridens, tuam poteſtatem appellas, quam tuo ære mercatus es: notans Syllam, quòd eum magiſtratum largitionibus ſibi paraſſet.

QVIDAM putant captum imperii conſuetudine, penſitatisque ſuis & inimicorum viribus, vſum occaſione rapiendæ dominationis, quam ætate primâ concupiſſet. Quod exiſtimaſſe videbatur & Cicero, ſcribens de Officiis tertio libro, ſemper Cæſarem in ore habuiſſe eos in Phœniſſis Euripidis verſus:

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

quos ſic ipſe conuertit:

Nam ſi violandum eſt ius, imperii gratiâ
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

CVM Africam petens, in egreſſu nauis prolapſus eſſet, omen ſiniſtrum vertit in melius, dicens: Teneo te, Africa. Frontinus id factum putat in conſcenſu nauis, eumque dixiſſe: Teneo te, terra mater. huc opinor alludens, quòd cùm quodam ſomnio perturbatus eſſet, quo ſibi viſus conſtupraro matrem, coniectores interpretati ſunt, por-

portendi totius orbis imperium.

QVVM animaduerteret ſe à coniuratis vndique ſtrictis pugionibus peti, ſiniſtrâ manu ſinum togæ ad ima crura deduxit, quò honeſtiùs caderet, inferiore corporis parte velatâ: & M. Bruto irruenti dixiſſe fertur: Καὶ σὺ τέκνον; hoc eſt, *Et tu fili?* innuens hiſce verbis, eum filii loco à ſe habitum: & multi credebant, ipſum Brutum ex adulterio Cæſaris natum fuiſſe.

OCTAVIVS CÆSAR AVGVSTVS, genus eloquendi ſequutus eſt elegans & temperatum, vitatis ſententiarum ineptiis atque inconcinnitate, & reconditorum verborum (vt ipſe dicit) fœtoribus. Præcipuamque curam duxit, ſenſum animi quàm apertiſſimè exprimere. Exagitabat nonnunquam in primis Mæcenatem ſuum, cuius μυσοθρεπτεῖς (vt ait) cincinnos vſquequaque perſequitur, & imitando per iocum irridet. Sed nec Tiberio parcit, exoletas interdum & reconditas voces aucupanti. Marcum quidem Antonium, vt inſanum, increpat, quaſi ea ſcribentem, quæ mirentur potiùs homines, quàm intelligant. Et quadam epiſtolâ, Agrippinæ neptis ingenium collaudans;

Sed opus eſt (inquit) dare te operam, ne moleſtè ſcribas, aut loquaris.

CVM in conuiuio Rhœmitalces Thracum rex, qui ab Antonio ad Auguſtum deſciuerat, inſolentiùs iactaret ſua erga Cæſarem merita, ac ſine fine exprobrans belli ſocietatem, moleſtus eſſet; Cæſar diſſimulatâ illius petulantiâ, alteri cuidam regùm propinans dixit: Proditionem amo, proditorem non laudo.

IN Sicilia pro Theodoro Arium præfectum inſtituit. Sed cùm Cæſari quidam libellum porrexiſſet, in quo ſcriptum erat: Caluus Theodorus Tarſenſis fur erat: quid tibi videtur? lepidè ſubſcripſit, *Videtur.*

CVM Caium ex filia nepotem, in Armeniam mitteret, optabat à Diis, vt illum Pompeij beneuolentia, audacia Alexandri, ipſius autem fortuna comitaretur.

DICEBAT ſe Romanis eum imperij ſucceſſorem relicturum, qui numquam eâdem de re bis conſultaſſet: de Tiberio ſentiens.

CVM iuuenes nobiles ac dignitate claros inter ſe tumultuantes vellet compeſcere, nec auſcultarent illi: Audite, inquit, iuuenes ſenem, quem iuuenem ſenes audierunt.

Augu-

Augustus enim adolescens ad Remp. admotus est; summaque fuit auctoritate.

Pisoni domum à fundamentis vsque ad extremam contignationem accurate ædificanti: Vt bono, inquit, animo, facis, ô Piso, qui sic ædificas, quasi Roma sit futura perennis.

Scripserat Augustus tragœdiam, cui titulus erat Aiax. Eam pòst, quoniam displicebat, spongiâ deleuit. Itaque cùm Lucius tragœdiarum scriptor interrogaret, quid ageret ipsius Aiax; Cæsar admodum festiuiter: In spongiam, inquit, incubuit: alludens ad argumentum fabulæ, in quo Aiax, cùm resciuisset, quæ dixisset, fecissetque per insaniam, gladio incumbens sibi necem consciuit.

Cvidam ipsi libellum trepidè porrigenti, qui manum nunc proferret, nunc retraheret: Quid, inquit, an putas te assem dare elephanto?

Cvm ab eo Pacinnius Taurus munus peteret, diceretque populari rumore sparsum, pecuniam haud paruam ipsi à Cæsare datam, Sed tu, inquit, noli credere.

Alter præfecturâ equitum submotus,

insuper & salarium ab Augusto postulato est ausus; hoc colore, vt diceret, se non lucri causâ salarium petere; sed vt tuo, inquit, iudicio videar impetrasse munus, & ita credar non ab officio [redacted]notus, sed illud deposuisse: Tu, inquit, apud omnes prædica te accepisse; ego non negabo.

HERENNIVM adolescentem vitiis corruptum castris excedere iusserat: cumque ille dimissus supplex ac plorabundus apud Augustum hac deprecatione vteretur: Quo ore redibo in patriam, quid dicam patri meo? Dic, inquit, me tibi displicuisse.

GALBA corpus habens gibbo deforme (de quo vulgo iactatum est, Ingenium Galbæ malè habitare) cùm apud Cæsarem causam agens, subinde diceret: Corrige me, Cæsar, si quid in me reprehendendum videris: Ego, inquit, Galba, monere te possum, corrigere non possum.

CVM plerique rei, quos Seuerus Cassius accusabat, absoluerentur; & is, cui Cæsar forum extruendum locârat, diu traheret illum operis exspectatione: Vellem, inquit, Cassius & forum meum accusasset.

OLIM erat magna sepulcrorum religio; eaque

eaque pars agri, quæ sepulcro erat dicata, non proscindebatur aratro. Vectius itaque cùm nihil hac religione deterritus, patris monumentum exaraſſet, Augustus facetè iocatus est; Hoc, inquiens, est verè patris monumentum colere.

Cvm Herodianæ crudelitatis rumor ad Augustum peruenisset, quòd in Syria pueros omnes, qui bimatum non excessissent, iussisset interfici, & in his etiam ipsius periſſe filium: Præstat, inquit, Herodis esse porcum, quàm filium. Herodes Iudæus erat; & Iudæi mirâ religione abstinent ab esu suillæ.

Cvm iam quadragesimum excessisset annum, ageretque in Gallia, delatum est ad illum, L. Cinnam adolescentem nobilem ac Pompeij nepotem insidias illi struere: dictumque est, vbi, quando, & quo modo aggredi vellet. Decreuerat enim sacrificantem interficere. Dictabatur proscriptionis sententia; sed Augusto interim varias edente voces, ingressa Liuia vxor: Fac, inquit, quod medici solent, qui, vbi vsitata remedia non procedunt, tentant contraria: seueritate nihil adhuc profeciſti, ignosce. Cinna deprehen-

prehenſus iam vitæ tuæ nocere non poteſt, famæ tuæ prodeſſe poteſt. Protinus iuſſit accerſi Cinnam ſolum ad colloquium, venientiq́ue alteram poni cathedram: Hoc, inquit, primùm abs te peto, ne me loquentem interpelles: dabitur tibi loquendi liberum tempus. Hîc commemoratis pluribus in Cinnam beneficiis, quòd ſeruaſſet repertum in caſtris hoſtium, quòd patrimonium omne conceſſiſſet, quòd inſuper ornaſſet ſacerdotio; rogauit, quare putârit ipſum occidendum. Perturbato Cinna, ſic finiit obiurgationem: Vitam tibi, Cinna, iterum do, priùs hoſti, nunc inſidiatori ac paricidæ: ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus, vtrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas. Et conſulatum obtulit. Vis exitum? Cinnam habuit perpetuò amiciſſimum: ſolus illi fuit hæres.

AVGVSTVS nulli ferè ad conuiuium vocanti negare ſolitus eſt. Exceptus igitur à quodam cœnâ perparcâ, ac pænè quotidianâ, cùm à conuiuatore dimitteretur, hoc illi tantùm inſuſurrauit: Non putabam me tibi tam familiarem.

PVR-

PVRPVRAM Tyriam empturus, de obſcuritate querebatur; cumque venditor diceret: Erige altiùs, & ſuſpice: Ergóne, inquit, vt me populus Romanus dicat bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum?

HABEBAT Auguſtus nomenclatorem obliuioſum, cùm hoc genus hominum oporteat in primis valere memoriâ, ſcilicet vt omnium nomina, cognomina titulosque dignitatum, heris ſuis, cùm opus eſt, ſuggerant. Is autem ad forum iturus, rogat Cæſarem, numquid eò mandaret: Accipe, inquit, commendatitias: nam illîc neminem noſti.

AVGVSTVS etiamnum adoleſcens lepidè tetigit Vatinium. Siquidem is podagræ obnoxius, videri ſtudebat diſcuſſiſſe vitium; ac iam mille paſſus ambulare ſe gloriabatur: Non miror, inquit Cæſar, dies aliquanto ſunt longiores.

EQVITE Romano quodam defuncto, compertum eſt, illum tantum habuiſſe æris alieni, vt ſumma ducenties nummûm excederet; idque, dum viueret, celauerat. Cùm igitur res illius auctioni ſubiicerentur, vt ex pecunia creditoribus ſatisfieret; Auguſtus iuſſit ſibi emi culcitram illius cubicularem:

ac mirantibus hoc præceptum: Habenda eſt, inquit, ad ſomnum mihi conciliandum illa culcitra, in qua ille, tanto ære alieno obſtrictus, ſomnum capere potuit.

QVODAM die fortè venit in ædes, in quibus habitârat Cato Vticéſis. Hîc cùm Strabo, quò Cæſari adularetur, Catonis peruicaciam accuſaret, quòd ſibi manus adferre, quàm Iulium victorem agnoſcere maluiſſet: Quiſquis, inquit Auguſtus, præſentem Reip. ſtatum mutari non vult, is & ciuis & vir bonus eſt. Vnico dicto & Catonis memoriam tutatus eſt, & ſibi conſuluit, deterrens, ne quis in poſterum affectaret res nouas.

QVEMADMODVM Auguſtus gaudebat, iocis liberalibus in alios ludere; ita in ſe iactos aut retortos interdum liberiùs, patientiſſimè tulit. Adoleſcens quidam prouincialis Romam venerat, oris ſimilitudine tam mirificè referens Auguſtum, vt in ſe populi totius oculos conuerteret. Cæſar, hoc audito, iuſſit ad ſe perduci; eumque contemplatus, Hunc in modum percunctatus eſt: Dic mihi, adoleſcens, fuítne aliquando mater tua Romæ? Negauit ille, ac ſentiens iocum retorſit,

retorſit, adiiciens. Sed pater meus ſæpe.

IVLIA Auguſti filia cùm patrem ſalutaret, ſenſerat illius oculos licentiore cultu offenſos, licet ille diſſimularet. Itaque poſtero die mutato cultu patrem complexa eſt. Tum Cæſar, qui pridie dolorem ſuum continuerat, gaudium continere non potuit: Et quanto magis, inquit, iſte cultus decet Auguſti filiam? Tum illa: Nimirum hodie me patris oculis ornaui, heri viri.

EADEM maturè canos habere cœperat. Subitus autem Cæſaris interuentus oppreſſit comptrices, filiæ canos ſublegentes. Hac itaque occaſione rogauit filiam: Vtrum poſt aliquot annos cana eſſe mallet, an calua. cumque illa reſpondiſſet: Ego, pater, cana eſſe mallem. Cur ergo, inquit, iſtæ te caluam ante tempus ſtudent facere?

TARRACONENSIBVS pro læto oſtento nuntiantibus, quòd in eius ara palma eſſet enata: Appâret, inquit, quàm frequenter accendatis. Quod illi Diis tribui volebant, ille tribuit illorum negligentiæ, qui nunquam in ara Cæſaris adolerent incenſum.

CVM Romæ videret peregrinos quoſdam locupletes, canum ac ſimiarum catu-

los

los in gremio circumferentes, eosque habere in deliciis, percunctatus est: Num apud illos fœminæ párerent liberos.

CVM sentiret imminere mortem, admissos amicos percunctabatur, ecquid ipsis videretur mimum vitæ sat commodè transegisse: sentiens de fabula vitæ peracta, & adiecit carmen peractis comœdiis accini solitum,

Δότε κρότον, καὶ πάντες ἡμῖν μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

quod Latinis *Plaudite*, aut *Plausum date.*

TIBERIVS CÆSAR, cuidam, à quo fuerat dominus appellatus, denunciauit, ne se ampliùs contumeliæ causâ nominaret.

EVNDEM Drusi filii obitus non valdè adfecit; sed tantumnon statim post à funere ad negotiorum consuetudinem rediit, iustitio longiore inhibito. Quin & Ilienſium legatis paulò seriùs cõsolantibus, quasi obliteratâ iam doloris memoriâ, irridens; Se quoque, respondit, vicem eorum dolére, quòd egregium ciuem Hectorem amisissent.

IDEM parsimoniam cæterorum suo exemplo vti iuuaret, solemnibus cœnis pridiana

diana & ſemeſa opſonia dimidiatumque aprum ſæpe apponebat; adfirmabatque, Dimidiatum eadem habere, quæ totum.

CVM iocis, conuiciis, famoſis carminibus ac rumoribus frequenter impeteretur, amicis ad vltionem hortantibus reſpondit: In ciuitate libera linguam mentemque liberas eſſe debere.

PRÆSIDIBVS onerandas tributo prouincias ſuadentibus, ſcripſit: Boni paſtoris eſſe tondére pecus, non deglubere.

QVONIAM tyro in caſtris auidiùs bibebat vinum, militari ioco, pro Tiberio Claudio Nerone, dictus eſt Biberius Caldius Mero.

CVM audiſſet quendam è reis nomine Caruilium ſibi mortem conſciſſe, priùs quàm eſſet damnatus, exclamauit: Caruilius me euaſit.

CVM cuſtodias recognoſcentem quidam rogaret, vt ſupplicium maturàret, reſpondit: Nondum tecum redii in gratiam: humanitatis officium ducens, ſi damnatum citò occidiſſet.

TIBERIVS perſpecto Caligulæ ingenio, fero ac malefico, ſubinde prædicabat, ſe na-

tricem Reip. & Phaëthontem orbi terrarum educare. Natrix serpentis genus est.

C. Caligvla illud è tragœdia subinde iactabat: Oderint, dum metuant. Hanc ne quis miretur, eiusdem vox fuit: Vtinam populus Romanus vnicam ceruicem haberet. Hanc emisit infensus turbæ fauenti Venetæ aurigarum factioni, cùm ipse faueret Prasinæ.

Vir quidam prætorius valetudinis causâ secesserat in Anticyram, petito à Cæsare commeatu. Is cùm sæpiùs peteret prorogari commeatum, mandauit interfici, & adiecit: Necessariam sanguinis esse missionem, cui tam diu non profuisset elleborum.

In auctione Apronius quidam vir prætorius dormitans, capitis motu nutabat. Id animaduertens Caligula, præconem admonuit, ne illum sibi nutantem præteriret: nec hoc monere desiit, donec ignoranti tredecim gladiatores sestertiûm nonagies addicerentur.

De iurisconsultis, quasi scientiæ eorum omnem vsum aboliturus, sæpe iactauit, se (mehercle) effecturum, ne quid respondere possint præter, *Eccum*, pro, æquum.

Clav-

CLAVDIVS CÆSAR, cùm censor equites recognosceret, & in his reperisset iuuenem probris coopertum; sed quem pater probissimum adfirmabat; sine ignominia dimisit. Id amicis mirantibus: Habet, inquit, censorem suum.

CVM cuidam notam appositam deprecantibus familiaribus ademisset, Litura tamen, inquit, extat.

DOMITIVS NERO, quodam in colloquio proferente Græcum versiculum: Ἐμοῦ θανόντος, γαῖα μιχθείη πυρί, id est, *Me mortuo, terra misceatur incendio*: subiecit: Imò Ἐμοῦ καὶ ζῶντος, id est, *me etiam viuo.*

CVM incendisset vrbem, spectabat, dicens, se flammæ pulchritudine delectari: atque interim suam canebat Halosin, hoc est, Troianæ vrbis excidium, quod descripserat.

BVRRVS cohortium præfectus, cùm esset animaduersurus in duos, petiit, vt Nero subscriberet. Qui cùm contaretur, & recrastinaret, Burrus instans, protulit chartam. Tum Nero: Vellem, inquit, nescire literas. Vox parsimoniam humani sanguinis promittens, si ex animo prodisset.

DESPERATIS rebus noctu adiit hospitia

ſingulorum, de fuga conſulturus: & cùm fores omnium occluſas reperiſſet; reuerſus in cubiculum, Mirmillonem nomine Spiculum requiſiuit, vel alium quemlibet, cuius manu periret: ac nemine reperto: Ergo, ego, inquit, nec amicum habeo, nec inimicum.

In fuga cùm Phaon libertus hortaretur, vt in ſpecum egeſtâ harenâ conderetur, negauit ſe viuum ſub terram iturum.

Cvm de coniuratis agerentur quæſtiones, Sulpicius Aſper centurio percunctanti Neroni, cur in cædem ſuam conſpiraſſet: Non aliter, inquit, tot flagitiis tuis ſubueniri poterat.

Ottho, iam deſtinatâ morte, Cocceium fratris filium ad ſe vocatum, ſic adhortatus eſt extremis verbis: O fili, habuiſſe te patruum Cæſarem, nec prorſus obliuiſcaris, nec admodum memineris. Noluit illum prorſus obliuiſci, ne deſereret curam ſuorum: rurſum noluit valdè meminiſſe, ne mortem patrui vlciſceretur.

Vespasianvs pater, quoniam Procuratorum rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria promouere ſole-

bat, quo locupletiores factos mox condemnaret, eisdem quidem vulgo pro spongiis dicebatur vti, quòd & siccos madefaceret, & exprimeret humentes.

QVIDAM è caris Vespasiani ministris apud ipsum pro quodam, quem fratrem suum esse simulabat, intercedebat; vt illi procuratio committeretur. Id sentiens Cæsar, candidatum solum ad se vocauit, exegitque pecuniam, quam ille suffragatori suo pepigerat: eâ acceptâ, mox ordinauit. Huius rei ignarus minister, rursus interpellauit pro fratre. Cui Vespasianus: Alium, inquit, tibi fratrem quære: Hic, quem tuum putas, meus est.

INSTITVERAT vectigal è lotio. Super hoc à filio monitus dissimulaúit, donec prima pensio esset soluta. Eam pecuniam admouit ad filii nares, sciscitans, num odore offenderetur. Negante illo; Atqui hæc, inquit, è lotio est.

LEGATIS nuntiantibus, decretam illi publicè non mediocris summæ statuam; iussit, vt eam continuò ponerent; & cauam ostendens manum, Ecce, inquit, parata basis: significans, vt eam pecuniam, quam in

ſtatuam decreuiſſent impendere mortuo, viuo darent in manum.

CVM vehementer angeretur vitiatis inteſtinis, nihilo ſeciùs imperatoriis muneribus fungebatur; adeò vt lecto decumbens audiret legationes: & amicis hortantibus, vt ſibi parceret, reſpondit: Imperatorem ſtantem mori oportere.

TITVS VESPASIANVS filius cùm admoneretur ab amicis, quòd plura pollicereturinterpellantibus, quàm præſtare poſſet, reſpondit: Non oportet quemquam à Cæſaris colloquio triſtem diſcedere.

DOMITIANVS CÆSAR initio principatus quotidie ſibi ſecretum horarium ſumere conſueuit; nec interim aliud, quàm muſcas captare, easque ſtilo præacuto configere; vt cuidam interroganti, eſſétne quis intùs cum Cæſare, Vibius Criſpus lepidè reſponderit: Ne muſca quidem.

NOTANS Metium quendam ſibi immodicè placentem, dicere ſolitus eſt: Vellem tam formoſus eſſe, quàm Metius ſibi videtur.

TRAIANVS CÆSAR ſolitus eſt dicere: Principes omnes multum abeſſe à Neronis

ronis quinquennio. Nam Domitius Nero primis annis quinque ſummâ cum laude geſſit imperium, priùs quàm ad Caligulæ auunculi ſui crudelitatem appelleret animum.

OPTIMO iure laudibus vehitur illa vox Traiani, qui amicis incuſantibus, quòd parùm memor imperatoriæ maieſtatis, nimium eſſet omnibus expoſitus, reſpondit: Talem præſtabo imperatorem priuatis, qualem optarem ipſe priuatus.

IDEM dicebat, Fiſcum eſſe lienem, quòd eo creſcente reliqui artus contabeſcant: ideoque vexationes & compilationes prouinciarum cohibuit.

HADRIANVS CÆSAR Imperator creatus adeò contempſit inimicos, vt vni, quem habuerat capitalem, fortè obuio dixerit: Euaſiſti. Principibus in priuatis offenſis debet eſſe ſatis, potuiſſe vlciſci.

QVIDAM canescens ab eo quiddam petierat, & repulſus eſt. Is cùm aliquanto poſt idem peteret, ſed capillitio nigro (nam id tinctura fecerat) Cæſar agnoſcens faciem: Iam iſtuc, inquit, negaui patri tuo.

COMMODVM Ælium Verum iterum

consulem fecerat, eumque imperio destinauerat: quem cùm cerneret nec animo nec corpore satis validum, dicere solet: In caducum parietem nos inclinauimus, ac perdidimus quater millies H-S. quod populo ac militibus pro adoptione dedimus.

FLORVS hos versiculos scripserat in Cæsarem:

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Cui Cæsar respondit:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Calices pati rotundos.

sentiens se honestas occupationes præferre inutili turpique ocio.

SVB mortem his versibus lusisse dicitur:

Animula, vagula, blandula,
Hospes comésque corporis:
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, vt soles, dabis ioces.

IDEM Imperator, quum aquâ intercute laboraret, moriens exclamauit illud peruulgatum:

uulgatum : Πολλοὶ ἰατροὶ βασιλέα ἀπώλεσαν: *Multi medici regem ſuſtulerunt.*

COMMODVS ÆLIVS VERVS, cùm eſſet peregrinis voluptatibus deditus, vxori conquerenti dixit: Pátere me per alias exercere cupiditates meas : vxor enim dignitatis nomen eſt,non voluptatis.

SEVERVS Imperator, cùm milites Baſſianum ipſius filium, qui pòſt Antoninus Caracalla dictus eſt, Auguſtum conſalutaſſent, eo quòd pater pedibus æger bellum moraretur, iuſſit ſe deferri ad tribunal, ſimulque adeſſe omnes tribunos, centuriones, duces & cohortes, quibus auctoribus hoc acciderat;ſiſti deinde & filium, qui Auguſti nomen non recusârat. Hîc cùm in omnes eius facti auctores iuſſiſſet animaduerti, excepto filio, omnesque ante tribunal proſtrati rogarent veniam;Seuerus manu caput contingens, Tandem,inquit,ſentitis, caput imperare, non pedes.

PESCENNIVS NIGER, cùm milites, qui à Saracenis victi fuerant, dicerent : Vinum non accepimus, pugnare non poſſumus; Erubeſcite, inquit Cæſar; illi qui vos vincunt, aquam bibunt. Nam Saracenis

etiam hodie, gustare vinum, nefas est.

IMPERATOR creatus, cùm quidam ei panegyricum in ipsius laudem conscriptum recitare vellet, dixit: Scribe Marii laudes, vel Hannibalis, aut alterius ducis egregii vitâ functi, vt eum nos imitemur.

ANTONINVS CARACALLA, cùm eius nouerca, quæ erat pulcherrima, veluti per imprudentiam corpus magna ex parte nudasset, dixisse fertur: Vellem, si liceret. Si libet, inquit illa, licet. An nescis te imperatorem esse, & leges dare, non accipere?

CVM ambitiosè sibi multa cognomina assereret, Germanici, Parthici, Arabici, & Alemanici quoque nomen sibi adscriberet, Heluius Pertinax filius Pertinacis bellè iocatus fertur: Adde etiam, inquit, si placet, Geticus, quòd Getam fratrem occidisset.

ANTONINVS HELIOGABALVS senatum adeò contempsit, vt eos interdum appellaret togata mancipia: veluti qui pristinæ dignitatis præter togas nihil retinerent.

AMABAT sibi pretia rerum, quæ mensæ apparabantur, maiora dici, quàm essent; Hanc esse dicens conuiuio orexim: quòd magis illa iuuant, quæ pluris emuntur, vt ait Satyricus.

HVIC

Hvic priuato cùm quidam luxum illius admirans diceret: Non times, ne fias pauper? Quid, inquit, melius, quàm vtipſe mihi hæres ſim & vxori meæ?

Alexander Severvs in templis argenti minimum, auri ne guttulam quidem aut bracteolam poſuit; ſubinde repetens illud Perſianum: *Dicite pontifices, in ſancto quid facit aurum?*

Ovinivs Camillus antiquæ familiæ ſenator rebellionem moliebatur, tyrannidem affectans. Id cùm Alexandro renuntiatum eſſet, ſtatimque probatum; ad palatium eum vocauit, eique gratias egit, quòd Reip. curam, quæ bonis viris recuſantibus imponi ſolet, ſponte reciperet. Mox ad ſenatum proceſſit, & tanti ſceleris conſcientiâ trepidum, conſortem imperii appellauit.

Honores iuris gladii numquam vendi paſſus eſt, dicens; Neceſſe eſt, vt, qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores poteſtatum: quos ſi patiar, damnare non poſſim: Erubeſco enim punire illum hominem, qui emit, & vendit.

Cvm Chriſtiani locum quendam, qui publicus fuerat, occupaſſent: contrà popinarii

rii dicerent, eum sibi deberi, rescripsit: Melius esse, vt quomodocumque illîc Deus coleretur, quàm popinariis dederetur.

CLAMABAT sæpiùs, quod à Christianis audierat, idque per præconem, quoties aliquem emendabat, dici iubebat: Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris.

FVRTI suspicione infames nec intueri sustinebat; adeò vt, cùm Septimius Arabinus, qui famosus crimine furtorum, sub Heliogabalo fuerat liberatus, inter senatores, principem salutatum veniisset, exclamârit: O numina, ô Iuppiter, ô Dii immortales! Arabinus non solùm viuit, sed etiam in Senatum venit: fortassis de me sperat; tam fatuum, tam stultum me esse iudicat.

VETRONIVM Thurinum familiarem, quòd his, qui petebant aliquid à Cæsare, vendidisset suum patrocinium, mentiens interim multa, conuincendum curauit; & conuictum damnatumque in stipite alligari iussit, suppositio igni ex humida materia, præcone clamante: Fumo punitur, qui fumos vendidit.

GALIENVS prouinciarum defectionem, quasi leuissimarum rerum iacturam, ioco

ioco ſolebat eludere. Cùm enim nuntiatum eſſet, Ægyptum defeciſſe; Quid, inquit, ſine lino Ægyptio eſſe non poſſumus? Cùm vaſtatam Aſiam Scytharum incurſionibus accepiſſet: Quid, inquit, ſine aphronitris eſſe non poſſumus? Perditâ Galliâ arriſit, dixitque: Non ſine trabeatis ſagis tuta Reſpublica eſt?

GALIENVS IVNIOR patris mortem inultam reliquit. Itaque cùm rex Perſarum quaſi captiuus per pompam duceretur, quidam ſcurræ miſcuerunt ſe Perſis, diligentiſſimè ſcrutantes omnia, & cuiuſque vultum mirâ inhiatione contemplantes. Qui interrogati, quid agerent, Patrem, inquiunt, principis quærimus: notantes à Galieno neglectum fuiſſe. Id vbi delatum eſt ad principem, ſcurras viuos exuri iuſſit. Exemplum impietatis in Cæſare, periculoſæ libertatis in ſcurris.

CVM taurum ingentem in arenam miſiſſet, prodiſſetque ad eum feriendum venator, neque productum decies, potuiſſet occidere; Cæſar coronam venatori miſit. Muſſitantibus cunctis, quid rei eſſet, quòd homo ignauiſſimus coronaretur, Galienus

per

per curionem dici iussit : Taurum toties non ferire, difficile est. Ludens significauit graue discrimen , toties tauro occurrere, etiam si non ferias.

QVIDAM huius vxori gemmas vitreas pro veris vendiderat. Re compertâ, mulier flagitauit vindictam. Cæsar iussit hominem corripi, quasi leoni obiecturus. Dein in caueam , dum impostor & populus expectat terribilem leonem, prosiliit capus. Cunctis rem tam ridiculam mirantibus , per curionem dici iussit : Imposturam fecit , & passus est.

AVRELIANVS cùm Thyanam venisset, eamque occlusam reperisset , iratus dixisse fertur : Canem in hoc oppido non relinquam. Hac voce milites erecti sunt in spem prædæ: & Heraclammon Thyanæus, metu, ne cum cæteris occideretur , prodidit ciuitatem. Quâ captâ , Aurelianus sapiens victor proditorem occîdit, dicens, eum sibi fidem seruare non posse, qui patriæ non pepercit. Militibus autem ex Cæsaris promisso direptionem vrbis flagitantibus respondit: Agite, canem me negaui relicturum: canes omnes occidite. Hoc pacto & proditori merce-

mercedem rependit, & militum auaritiam eluſit.

TACITVS Imperator fratri petierat conſulatum, nec impetrauit. Eâ repulsâ adeò non fuit infenſus, vt vehementer etiam lætatus ſit, dicens, Scit Senatus quem Principem fecerit.

PROBVS non patiebátur militem eſſe otioſum; ſed multa opera militari manu perfecit, dicens, Annonam gratuitam miles comedere non debet.

FIRMVS Imperator vini patientiſſimus fuiſſe legitur, citra ebrietatem. Quondam à Barbaro vexillario prouocatus ad bibendum, duas vini ſitulas hauſit, & poſtea toto conuiuio ſobrius fuit. Cùm verò Barbarus diceret: Cur non & fœcem ebibiſti? Stulte, inquit, terra non bibitur.

BONOSVS Imperator prodigioſè bibax fuiſſe legitur: de quo Aurelianus ſæpe dicere ſolebat: Non vt viuat, natus eſt; ſed vt bibat.

IDEM laqueo ſibi vitam finiuit: & quia fuerat heluo, & ventrem habuerat deformiter tumidum, iocus militaris ſparſus eſt: Non hominem pendére, ſed amphoram.

CN.

CN. POMPEIVS cognomento Magnus, cùm in Lybiam aduerſus Domitium tranſiſſet, eumque ingenti prœlio ſuperaſſet, militibus ipſum imperatoris titulo conſalutantibus negauit ſe eum honorem admiſſurum, quoad hoſtium vallum ſtaret erectum. Hoc audito, milites, licet ingens obſtaret pluuia, impetu facto, hoſtium caſtra adorti expugnârunt.

IDEM Cn. Pompeius Magnus, tam carus fuit vniuerſo Populo Rom. quàm pater eius fuerat inuiſus. Is etiamnum adoleſcens, totum ſe Syllanæ factioni addixit: cumque nec magiſtratus eſſet nec ſenator, magnum tamen ex Italia contraxit exercitum. Hunc cùm Sylla ad ſe venire iuſſiſſet, Non abſque ſpoliis, inquit, nec incruentas imperatori copias exhibebo. Nec priùs ad illum venit, quàm multis conflictibus hoſtium duces ſuperaſſet.

ROMÆ mos erat, vt equites, qui legitimum tempus militaſſent, equum in forum deducerent ad duumuiros, quos cenſores appellant: & commemoratis expeditionibus ac ducibus, ſub quibus meruiſſent, pro meritis aut collaudarentur, aut vituperarentur.

rentur. Itaque Pompeius cùm esset consul, ipse equum ad censores Gallium ac Lentulum deduxit: quibus ex more percunctantibus, an omnia militaria munia obisset, Omnia, inquit, sub me ipso imperatore: significans se sic gessisse ducem, vt nihilo secius omnes militis partes gnauiter præstaret.

Cvm Lucius Lucullus post obita militiæ munia sese voluptatibus dederet, ac sumptuosè viueret; Pompeium interim reprehenderet, quòd præter ætatem multis negotiis appeteret implicari: Magis, inquit, præter ætatem est, senem deliciis vacare, quàm imperium gerere.

Ægrotanti Pompeio medicus præscripserat, vt turdis vesceretur. Cumque hi, quibus datum erat negotium, negarent inueniri (non enim erat tempus, quo genus hoc auium capi solet) admonuit aliquis apud Lucullum inueniri posse, qui turdos toto anno soleat alere: Itáne, inquit, nisi delitiis deditus esset Lucullus, nequaquam viueret Pompeius?

Cvm ingens rei frumentariæ Romæ esset penuria, Pompeius titulo quidem annonæ procurator, re autem verâ maris terræque

dominus declaratus, in Africam, Sardiniam ac Siciliam nauigauit; multâque vi frumenti collectâ, properabat ire Romam. Verùm cùm ingenti tempestate obortâ, naucleri detrectarent nauigationem, ipse primus nauem ingressus, iussit ancoras tolli, clamans: Vt nauigemus, vrget necessitas; vt viuamus, non vrget.

CATONI acerbiùs insectanti Pompeium, quòd ipse sæpiùs prædixisset, potentiam Cæsaris indies crescentem nulli bono fore populari ciuitatis gubernationi, sed potiùs ad tyrannidem tendere; Pompeius ita respondit: Tua, Cato, magis accedunt ad diuinationem: at mea magis accommoda sunt amicitiæ.

DE se liberè profitebatur idem Pompeius, quòd omnem magistratum, quem gesserat, & citiùs esset nactus, quàm ipse expectasset; & citiùs deposuisset, quàm ab aliis expectatum esset. Quòd citò suscepisset imperium, vel fortunæ fuit, vel præmaturæ virtutis: quòd maturè deposuit, animi moderati erat, nec ad tyrannidem spectantis.

POST prœlium in Pharsalicis campis habitum, in Ægyptum profugit: cumque è triremi

remi descensurus esset in scalmum piscatorium ab Ægypti rege missum, conuersus ad vxorem ac filium, nihil aliud dixit, quàm illud Sophocleum:

Πρὸς τὸν τύραννον ὅστις ἐμπορεύεται,
Κεῖνός ἐστι δοῦλος κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.
Quisquis tyranni ad tecta demigrauerit,
Fit seruus illi, liber etsi venerit.

IDEM impatiens Tullianæ dicacitatis, inter amicos dicere solet: Cupio ad hostes transeat Cicero, vt nos timeat. Notauit illius ingenium, quo dicitur hostibus fuisse supplex, in amicos contumax.

COMPOSITO Siciliæ tumultu, ac ciuitatibus, quæ defecerant, placidè receptis; soli Mamertini postulabant audiri, recitantes leges quasdam ipsis olim à Romanis concessas: Non desinetis, inquit, nobis accinctis gladiis recitare leges? significans iure agere volentibus non esse opus armis.

QVIBVSDAM se videre negantibus, quomodo posset Cæsaris impetum sustinere, hilari vultu vetuit illos hac de re esse sollicitos: Nam simulac, inquit, solum Italiæ pede pulsauero, exilient affatim equestres pedestresque copiæ. Præsens quidem animus, si fortuna respondisset.

M. TVLLIVS CICERO Metello Nepoti obiicienti, quòd teſtimonio ſuo plures occidiſſet, quàm patrocinio ſeruaſſet, Plus enim, inquit, mihi fidei eſt, quàm eloquentiæ.

RVRSVM Metello percontanti, quis ipſius eſſet pater, nimirum ignobilitatem exprobrans: Ad iſtam, inquit, percontationem vt reſpondere ſit difficilius, mater effecit tua. Nam Metelli mater audiebat parum pudica.

IDEM Metellus cùm Diodoro, quo rhetorices magiſtro fuerat vſus, defuncto, ſepulchro eius coruum lapideum impoſuiſſet: Iuſtum, inquit Cicero, præmium retulit. Nam volare ipſum docuit, non dicere: notans Metelli leuitatem & inconſtantiam. Coruus auis eſt ἄμουσος.

CVM orante M. Tullio, quidam creditus Afer genere, diceret: Non audio: hoc ſermone negans ſe probare, quod dicebatur: Atqui, inquit Cicero, aurem habes perforatam. Solet enim ea gens habere perforatas aures, vnde ſuſpẽderet annulos ac gemmas.

Q. CICERONEM breuiore fuiſſe ſaturâ declarat fratris iocus; qui quum in Aſia clypeatam

peatam eius imaginem, ingentibus lineamentis, vsque ad pectus, ex more pictam conspexisset, Frater, inquit, meus dimidius, maior est, quàm totus.

C. Popilivs, qui iurisperitus videri volebat, cùm indoctus esset ac stupidus, citatus in controuersia quadam testis, respondit se nihil scire. Tum Cicero: Putas, inquit, fortassis te de iure interrogari.

Hortensivs orator defensionis mercedem à Verre acceperat Sphingem argenteá. Is cùm M. Tullio obliquius quiddam & inuolutius loquuto dixisset: Non didici soluere ænigmata: Atqui, inquit Cicero, Sphingem habes domi. Nota est fabula de monstro Sphinge, quæ præmiis propositis edebat ænigmata: non soluentibus mors erat præmium.

Cvm Voconium fortè obuium haberet cum filiabus tribus insigniter deformibus, tacitè ad amicos dixit versiculum Græcum:

Φοίβου ποτ' οὐκ ἐῶντος, ἔσπειρεν τέκνα.

Phœbo haud sinente hic seminauit liberos:

sentiens illum inuito Apolline liberis operam dedisse; siue quòd Apollo pulcerà poëtis fingitur, siue quòd oriente sole fœtus

existiment concipi feliciores.

CVM Faustus Syllæ filius ob æris alieni magnitudinem supellectilem suam proscripsisset: Hanc, inquit, proscriptionem magis approbo, quàm paternam. Lusit ambiguo verbi. Proscribuntur res, quæ in auctione vænum exponuntur; & proscribuntur homines, à quouis iugulandi.

POMPEIO ac Cæsare inter se dissidentibus: Quem fugiam, inquit, scio: quem sequar nescio: sentiens ambos non pro Reip. libertate, sed pro principatu dimicare.

POMPEIO vitio dabat, quòd ciuitate desertâ, Themistoclem potiùs, quàm Periclem fuisset imitatus; cùm illis res nequaquam pares essent, his essent. Themistocles enim fugit ad Persas, Pericles mansit Athenis.

CVM ad Pompeium veniisset, ac veniisse pœniteret, rogatus, vbi Pisonem generum reliquisset; Apud tuum, inquit, socerum: Cæsarem designans. Perinde quasi notatus esset Cicero, quòd à genero suo disiunctus esset, retaxauit illum, quòd ipse cum suo socero bellum gereret.

CVM quidam à Cæsare ad Pompeium trans-

transfugiens, diceret se festinandi studio equum reliquisse, Cicero dixit, illum meliùs de equo, quàm de se statuisse: sentiens longè rectiùs facturum fuisse, si & ipse mansisset apud Cæsarem.

Post Pharsalicum conflictum cùm fugisset Pompeius, Nonius quidam dicebat, septem adhuc aquilas supersse: proinde bono animo essent, hortabatur: Rectè, inquit Cicero, hortareris, si nobis cum graculis bellum esset. At ille aquilas dixit, vexilla Romana aquilis insignita.

Cvm Cæsar rerum potitus, Pompeii statuas deiectas honorificè reposuisset: Cæsar, inquit Cicero, dum Pompeii statuas reponit, suas stabilit: sentiens illum hoc non in Pompeii gratiam facere; sed vt sibi clementiæ simulatione fauorem apud ciues conciliaret, atque hoc pacto suum regnum constabiliret.

Cvm Cicero in Pompeii castra venisset, dicentibus: Serò venisti: Minimè, inquit, serò: nam nihil hîc adhuc parati video.

Cvm Pompeius Gallum quendam, quòd ad ipsum à Cæsare transfugerat, ciuitate Romanâ donasset: Hominem, inquit, bel-

lum: qui Gallis ciuitatem promittit alienã, cùm noſtram nobis non poſſit reddere.

Post Cæſaris victoriam interrogatus Cicero, cur in electione partium erraſſet; Præcinctura, inquit, me fefellit: ſentiens ſe non ſperaſſe, victoriam à molli & effeminato ſaturam. Cæſar enim ita togâ præcingebatur, vt laciniam trahens, mollium in morem incederet: Vnde Sylla Pompeium admonere ſolet, caueret à puero malè præcincto.

Idem apud Damaſippum cœnans, cùm conuiuator mediocre vinum appoſuiſſet, idque conuiuis à vetuſtate cupiens commendare, diceret: Bibite Phalernum hoc: quadraginta annorum eſt: Bene, inquit, fert ætatem: ſubtaxans hominis auaritiam, veniam dedit vino, vnde ille gloriam aucupabatur.

Cvm Lentulum generum ſuum, exiguæ ſtaturæ hominem, prælongo gladio videret accinctum; Quis, inquit, alligauit generum meum gladio?

Cvm Tullia Ciceronis filia concitatiùs incederet, quàm deceret feminam: contrà Piſo gener lentiùs, quàm deceret virum; ambos eodem dicto taxauit, filiæ præſente gene-

genero dicens: Ambula, vt vir.

In Vatinium, qui paucis diebus consul fuit, ita iocatus est: Vatinii anno magnum ostentum fuit; quòd eo consule nec bruma, nec ver, nec æstas, nec autumnus fuisset.

Rvrsvs expostulanti Vatinio, quòd Cicero grauatus esset, ipsum languentem inuisere, Volebam, inquit, in tuo consulatu venire, sed me nox occupauit. Hæc talio videri poterat. Nam antea Vatinius Ciceronem gloriantem, quòd ipsum Resp. suis humeris reportasset, ita taxârat: Vnde ergo tibi varices? Varices enim non sedentium, sed stantium aut ambulantium crura solent occupare.

De Caninio Rebilo, qui vnico tantùm die consul fuit, hoc dixisse fertur: Vigilantem habemus consulem, qui toto consulatu suo somnum non vidit.

C. Cæsar multos in senatum legerat, eo ordine indignos, & in his Laberium ex equite Romano mimum. Hic cùm in senatu M. Tullium præteriret, sedem quærens; Recepissem, inquit Cicero, te, nisi angustè sederem: simul & illum respuens, & in nouum senatum iocatus. Nec hoc dicterium

inultum tulit Laberius: Demiror, inquit, si sedes angustè, qui soleas duabus sedere sellis: obiiciens illi leuitatem, quòd lubricæ fidei nunc his, nunc illis partibus adhæreret.

CVM quidam candidatus, qui coquo patre natus credebatur, à Cicerone suffragium peteret, Ego quoque, inquit, tibi faucbo.

CVM accusator Milonis ex argumento temporis colligens, Clodio à Milone structas insidias; subinde rogaret; quo tempore occisus esset Clodius, Cicero respondit: Serò: voce ancipiti significans, è Rep. fuisse futurum, si Clodius multò antè fuisset interfectus.

M. COELIVM meliùs obiicientem crimina, quàm defendentem, bonam dextram, malam sinistram habere dixit.

IVLIVM Curtium, quo iunior videretur, multa de annis ætatis suæ mentientem, ita redarguit: Ergo cùm vnà declamabamus, non eras natus.

FABIÆ Dolabellæ dicenti, se triginta annos habere, Verum est, inquit. Nam hoc iam viginti annos audio.

OBIVRGANTIBVS, quòd homo sexagenarius puellam virginem duxisset: Cras, inquit, mulier erit.

CVM

CVM mater M. Bruti Seruilia pretioſum ære paruo fundum abſtuliſſet à Cæſare, qui bona ciuium ſubiiciebat haſtæ, ita iocatus eſt Cicero: Et quidem quò meliùs emptum ſciatis, emit hunc fundum Seruilia, tertiâ deductâ. Seruiliæ autem filia dicebatur Iunia Tertia, eademque C. Conſidii vxor. Ex ambiguo iocatus eſt Cicero. Potuit enim intelligi tertia pars pretii detracta: deducitur autem vxor aut ſcortum.

IDEM obiicientibus, quòd à reo pecuniam accepiſſet, quâ magnificas quaſdam ædes eſſet empturus; Fatebor, inquit, accepiſſe me, ſi emero. Eas cùm eſſet mercatus, exprobrantibus vanitatem; An neſcitis, inquit, boni patris familiâs eſſe, diſſimulare, ſi quid conſtituerit emere?

CICERO Munatio reo patrocinatus fuerat; atque ille abſolutus. Poſt cùm Munatius Sabinum Ciceronis amicum reum perageret, iratus Cicero exprobrauit illi beneficium: An tu, inquit, Munati, illud iudicium tuâ operâ effugiſti, an potiùs meâ, qui multum caliginis tribunalibus offudi.

CVM M. Craſſum pro roſtris laudaſſet magno populi applauſu, & eundem pòſt ex eodem

eodem loco acribus conuitiis inceſſeret; Quid, inquit Craſſus, an non me nuper ex hoc ipſo loco laudaſti? Laudaui, inquit, ſed exercendi gratiâ argumentum infame declamans.

CÆSAR ſtatuerat agros Campanos militibus diuidere. Id cùm complures in curia moleſtè ferebant; tum L. Gellius, homo extremæ ſenectutis, dixit, hoc non futurum ſe viuo: Expectemus, inquit Cicero, Non enim poſtulat longam dilationem.

CVM M. Appius in proœmio diceret, ſe magnopere rogatum ab amico, vt in cauſa clientis adhiberet curam, eloquentiam & fidem; hîc Cicero: Adeóne ferreus homo es, vt ex tam multis, quæ rogauit amicus, nihil præſtes?

C. CÆSARI in ſenatu enixè defendenti cauſſam filiæ Nicomedis, beneficiaque regis in ſe commemoranti, Remoue, inquit, iſtæc, oro: quoniam notum eſt, quid ille tibi; quid tu illi dederis. Iocus eſt ex ambiguo verbi. Nam dat, qui confert beneficium; & dat mulier, quæ ſui facit copiam. Malè audiebat Cæſar, quòd in Bithynia Nicomedi regi fuiſſet obſequentior, quàm pudicitiæ leges poſtulant.

MANIVS

MANIVS CVRIVS DENTATVS, nonnullis arguentibus, quòd ex agris bello partis partem exiguam vnicuique militum distribuisset, magnam verò Reipub.; optauit à Diis, ne quando existeret quisquam Romanus, cui ager exiguus videretur, qui posset alere dominum.

IDEM de Samnitibus primò triumphauit: & regressus, in concione ait: Tantum agri cepi, vt solitudo futura fuerit, nisi tantum hominum cepissem: tantum porrò hominum cepi, vt fame perituri fuerint, nisi tantum agri cepissem.

LEGATIS Samnitum aurum offerentibus, quum ipse in foco rapa torreret: Nihil, inquit, opus est auro talem cœnanti cœnam: malo hæc in fictilibus meis esse, & aurum habentibus imperare.

CAIVS FABRITIVS cùm audisset Romanos à Pyrrho deuictos, ad Labienum versus; Pyrrhus, inquit, non Epirotæ vicerunt Romanos.

CVM Pyrrhus pro redimendis captiuis multum auri misisset, aurum quidem non accepit Fabritius. Postridie verò Pyrrhus maximum elephantum emisit, qui ignaro

Fabritio

Fabritio à tergo ſubitò barriens appareret. Id vbi factum eſt, reſpiciens Fabritius ac ridens; Me, inquit, nec aurum heri, nec hodie bellua fecit attonitum.

FABRITIO iam conſuli miſit epiſtolam Pyrrhi medicus, quâ promittebat, ſe regem veneno necaturum, ſi iuberet. At eam epiſtolam, auctore non prodito, ad Pyrrhum remiſit, monens illum, ſibi vti caueret, qui peſſimus eſſet iudex, tum amicorum, tum hoſtium.

FABIVS MAXIMVS quoniam cum Hannibale confligere detrectabat; ſed morâ copias illius & pecuniarum & commeatus egentes attenuabat, ſequens illum per aſpera montuoſaque; ac ſubinde obiter ſeſe opponens; à nonnullis per ludibrium dicebatur, Hannibalis pædagogus. hoc cõuicio nihil commotus, pergebat ſuum inſtitutum ſequi, dicens apud amicos: Qui dicteria conuiciaque metuat, eum ſibi videri timidiorem his, qui fugiunt hoſtes.

VRBEM Tarentinam, quam Hannibal præſidio impoſito tenebat, arce excepta, vbi cepiſſet diripuiſſetque, ſcribæ percunctanti, quid de templorum ſimulacris ſtatuiſſet; Relin-

Relinquamus, inquit, Tarentinis Deos iratos.

CVM M. Liuius sibi postularet acceptum ferri, quòd Fabius cepisset vrbem Tarentinam; videlicet quòd in arce præsidium habuisset: cæteris iactantiam hominis deridentibus; Vera, inquit Fabius, narras. Nam nisi tu ciuitatem amisisses, nequaquam ego recepissem.

FABIO iam sene, filius illius consul factus est; qui cùm publicitus multis audientibus habuisset orationem, Fabius conscenso equo præcedebat. Cùm autem iuuenis lictorem misisset, qui patrem iuberet equo descendere; alii quidem factum hoc auersati sunt. At Fabius ab equo desiliens, non habitâ ætatis ratione, accurrit, ac filium complexus: Euge, inquit, fili, sapis, qui intelligas, quibus imperes, & quàm magnum magistratum susceperis.

SCIPIO senior si quando vacans à negotiis bellicis, in literis versaretur, dicere solebat; se numquam minùs esse otiosum, quàm cùm esset in otio.

IN Sicilia percunctanti cuidam, quâ re fretus, classem educere pararet in Africam, osten-

oſtendit viros armatos trecentos ſeſe exercentes; præterea turrim excelſam mari imminentem; & ait: Nullus horum eſt, qui non conſcensâ turri, ſemet in mare præcipitaturus ſit, ſi iuſſero.

POSTEAQVAM Romani traiecerant in Aſiam aduerſus Antiochum regem, isque legatos ad Scipionem de pace miſiſſet; Id, inquit Scipio, priùs factum oportuit: non nunc, cùm & frenum & ſeſſorem recepiſti.

SENATVS decreuerat, vt pecunias ſumeret ex ærario. At cùm quæſtores ærarii negarent, ſe eo die aperturos: Ipſe, inquit, aperiam; quando meâ causâ clauditur, qui tantâ pecuniarum vi repleuerim ærarium: innuens vacua non claudi.

QVVM à Petiliis tribunis plebis, multis nominibus accuſaretur apud populum Rò. nihil ad crimina reſpondit. Tantùm hoc dixit: Hoc die, Quirites, Hannibalem & Carthaginem deuici. proin ipſe ſumptâ coronâ in Capitolium aſcendo, Ioui Opt. Max. ſacrificaturus. Si quis de me ſuffragium ferre velit, ferat. Hæc locutus, adſcendebat ad Capitolium relictis accuſatoribus, non dum peroratâ causâ.

SCIPIO

SCIPIO minor, quibuſdam calumnianti-bus, quòd parùm ſtrenuus pugnator eſ-ſet, Imperatorem, inquit, me mater, non bellatorem genuit.

IDEM militi, cui ſcutum erat elegantiùs ornatum, Non miror, inquit, quòd ſcutum tantâ curâ ornâris, in quo plus habeas præ-ſidii, quàm in gladio.

IDEM dicere ſolebat, hoſti non ſolùm eſ-ſe dandam viam fugiendi; verùm etiam muniendam.

IDEM dicere ſolet, cum hoſte non eſſe confligendum, niſi aut inuitaret occaſio, aut vrgeret neceſſitas: quòd incogitantis ſit, oportunitatem oblatam negligere; & extre-mæ ſit ignauiæ, tum non præſtare fortem animum, cùm audacia ſpem præbet incolu-mitatis, formidoloſitas nihil aliud, quàm certum promittit exitium.

TITVS QVINTIVS Achæos meditantes expeditionem aduerſus inſulam Za-cynthiorum, monuit, vt cauerent, ne more teſtudinum caput extra Peloponneſum proferentes, venirent in periculum.

IN Philopœmenem Achæorum ducem, qui multos haberet equites & armatos, ſed

pecuniarum indigus erat, ita ludebat: Philopœmen manus habet & crura; ventrem non habet.

PVBLIVS ÆMILIVS cùm per loca præruptа irrupisset in Macedoniam, vidisséque instructam hostium aciem, exhortante Nasica, vt protinus inuaderet hostem; Facerem, inquit, si tuæ essem ætatis: sed multarum rerum experientia prohibet, ne ex itinere statim cum instructa acie congrediar.

DEVICTO Perseo Macedonum rege, cùm epulum exhiberet victoriale, dicebat, eiusdem esse artis & aciem bene instruere, & conuiuium exhibere: illam, vt hostibus sit quàm maximè formidabilis; hoc, vt amicis sit iucundissimum.

CVM Perseus captiuus deprecaretur, ne in triumpho duceretur; Isthuc, inquit, in te situm erat: significans illi licuisse in bello perire aut certè vincere.

VXOR erat illi Papyria, Masonis viri consularis filia, ex qua cùm pulcerrimam sobolem sustulisset, (inclitum illú ac maximum Scipionem Æmilianú,) repudiauit: & amicis diuortium vehementer dissuadentibus porrexit calceum, dicens: Hic calceus nónne

ne nouus eſt? nónne pulcer eſt? at nemo veſtrûm nouit, quà pedem meum torqueat.

PERSEO ſeſe ad victoris pedes abiicienti, vocesque degeneres emittenti; Cur, inquit Paulus, fortunam crimine liberas, ſic te gerens, vt ſuperiore etiam fortunâ videaris indignus? cur meam dedecoras victoriam, ac rerum à me geſtarum gloriam obſcuras, tam abiectum te demonſtrans, vt indignus appareas, quem populus Romanus haberet hoſtem?

CATO Senior, in concione ſuaſurus de frumento viritim diuidendo, ita præfatus eſt: Perdifficile eſſe, ad ventrem auribus carentem verba facere.

AIEBAT ſe mirari, quomodo ſeruari poſſit ea ciuitas, in qua pluris væniret piſcis, quàm bos. Præcipuus luxus olim erat in piſcibus: vnde legimus, mullum ſex millibus emptum.

DICEBAT ſibi inuiſum eſſe militem, qui ambulans moueret manus, pugnans moueret pedes; clariusque ſterteret, quàm inclamaret: peſſimum autem imperatorem, qui ſibi non poſſet imperare.

IDEM dicebat, priuatarum rerum fures

in compedibus vitam agere; publicarum in auro & purpura conſpicuos incedere.

MAXIME exiſtimabat, oportere vnumquemque ſe ipſum reuereri, quòd nullus vmquam à ſe ipſo diſcedat. Ita fieret, vt, quidquid aliis teſtibus non audere mus facere, idem ſolos facere puderet.

CONSPICIENS multorum erigi ſtatuas; Malim, inquit, vt de me quærant homines, quamobrem Catoni non ſit poſita ſtatua, quàm quare ſit poſita.

OBVIO cuidam ſeni vitæ contaminatæ dixit: Ne ætatis tuæ malis addas turpitudinem: ſentiens ſenectutem multis nominibus vulgo malè audire; veluti cùm audit deformis, edentula, luſcioſa, imbecillis, obliuioſa, indocilis.

QVI in rebus ridiculis ſeriam operam ponerent; eos dicebat, in ſeriis fore ridiculos.

CIVES incuſabat, quòd ſemper iiſdem committant magiſtratum. Videmini enim, inquit, aut vilem habere magiſtratum, aut iudicare paucos eſſe dignos magiſtratu.

QVEMDAM, qui agros mari vicinos ob luxum vendere coactus eſt, aiebat ſe mirari, quaſi

quasi plus posset, quàm ipsum mare. Quod enim illud vix paullatim alluebat, ille facilè deuorârat.

QVI magistratum frequenter ambirent, eos dicebat, velut ignaros viæ, ne aberrarent, lictores, qui præcederent, semper quærere. Solent enim lictores præire magistratum, non vt viam ostenderent, sed honoris gratiâ.

IN inimicum quendam probrosæ vitæ; Huius, inquit, mater, cùm Deos orat, vt sibi filius sit superstes, non precatur, sed imprecatur: sentiens & sibi & Reip. precari magnum malum.

CVM tres essent designati, qui legati proficiscerentur in Bithyniam; quorum vnus podagrâ teneretur, alter caput haberet vulneribus confossum, tertius væcordiâ laborare videretur; Cato ridens dixit, Populi Romani legationem nec pedes habere, nec caput, nec cor.

LVRCONI cuidam ambienti inter Catonis familiares recipi, negauit, dicens, se cum eo non posse viuere, qui plus saperet palato, quàm corde.

CVM impetratum esset de restituendis

Achæorum exulibus, Polybius & hoc ad ſenatum retulit, vt reſtitutis apud ſuos priſtini honores ac magiſtratus redderentur. Hîc Cato rogatus ſententiam, ita dixit: Polybius idem facere videtur, quod fecit Vlyſſes, qui Cyclopis ſpeluncam repetere voluit, quò pileum & cingulum, quæ illîc per obliuionem reliquerat, reciperet. Ita puſilla curantur cum periculo.

AD tribunum plebis, qui veneficii infamiâ laborabat, iniquam ferentem legem: Adoleſcens, inquit, nondum ſcio, vtrum haurire quod temperas, an approbare quod ſcribis, deterius ſit.

A quodam multis nominibus infami vexatus; Impar mihi, inquit, tecum certamen eſt. Nam vt tibi & malè audire & malè dicere, facillimum ac promtiſſimum eſt; ita mihi malè audire inſuaue, malè dicere inſolitum.

APVD Athenienſes cùm quæcumque Cato breuiſſimo ſermone expedierat, ea vix longo verborum ambitu redderet interpres; dictum eſt, Græcis orationem è labiis, Romanis ex corde proficiſci.

ADOLESCENS quidam patris vitâ defuncti

cti inimicum mox in ius vocauit, vltusque est: quem Cato obuium comiter amplexus; Sic oportet, inquit, non agnis hœdisve, sed è malorum lachrymis ac damnationibus parentum exequias celebrare.

CVM quidam Catoni dixisset; Famus deambulatum: & adolescens quidam interpellasset, dicens: Quid opus erat *de*? Imò, inquit Cato, quid opus erat *te*?

CATO percussus ab eo, qui arcam ferebat; cùm baiulus diceret, Caue: rogauit, numquid ferret præter arcam.

IDEM Cato, quibusdam efferentibus hominem inconsultè audacem, & in rebus bellicis strenuum, ait plurimum referre, vtrùm quis virtutem magno æstimet, an vitam non magni faciat.

Q. ALBIDIVM quendam, qui luxu facultates prodegerat, & nouissimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdiderat, proteruiam fecisse dicebat. Id erat priscum sacrificii genus, in quo si quid ex epulis superfuisset, seruari religio erat, sed igni crematur.

COMMEMORANTVR eiusdem quædam velut oracula de re rustica. Dicebat malum

esse agrum, cum quo dominus luctatur: eum, qui bene habitet, sæpiùs ventitare in agrum, frontemque domini plus prodesse, quàm occipitium: Hunc agri modum seruandum, vt neque fundus villam quærat, neque villa fundum: nihil minùs expedire, quàm agrum optimè colere.

IDEM aiebat se demirari, quòd non rideret aruspex, quoties adspiceret aruspicem.

CVM Catoni caussam in foro agenti, Lentulus attractâ pingui saliuâ in mediam frontem, quantum poterat, expuisset; abstersit Cato faciem, ac dixit: Affirmabo omnibus, Lentule, talli eos, qui te negent os habere. Os habere negantur, quos nihil pudet.

QVIDAM manè surgens reperit caligas à soricibus arrosas. Hoc ostento turbatus, consuluit Catonem, quid mali portenderetur: Non est, inquit ille, ostentum, quòd sorices arroserunt caligas; sed si caligæ arrosissent sorices, id demum fuisset ostentum.

CATO VTICENSIS, cùm ei etiamnum puero vitio daretur taciturnitas; Tum demum, inquit, abrumpam hoc meum silentium, cùm ea loqui potero, quæ sunt indigna silentio.

CVM

CVM in ſenatu de Catilinæ coniuratione tractaretur, redditæ ſunt Cæſari litteræ. Id vbi ſenſit Cato, ſuſpicans à coniuratis venire, clamare cœpit, vt palam recitarentur. Id ne fieret, Cæſar Catoni litteras tradidit. Erant autem ab Seruilia Catonis ſorore, amatoriæ parumque pudicæ. Eas vbi legit Cato, reiecit in Cæſarem, dicens: Accipe, ebrie.

POMPEIVS quò ſuam factionem redderet firmiorem, per Manutium petiit, vt Cato neptium duarum alteram ſibi, alteram filio ſuo daret. Reſpondit Cato, ſe aduerſus Remp. numquam daturum obſides: neptes in matrimonium datas, obſidum nomine ſignans.

MVLTIS P. Sulpicii ingratitudinem incuſantibus, quòd Catoni de ſe optimè merito, oppoſuiſſet ſe competitorem; Cato ſic excuſauit, dicens: Minimè mirandum, ſi, quod quis maximum bonum duceret, id alteri nollet concedere.

CVM Cæſar Ariminum occupaſſet, & ad Pompeium ſumma rerum in vrbe tranſlata eſſet, Cato dixit: Si mihi iſta prædicenti credidiſſetis, P. C. nec vnum nunc timero-

mus, nec ab vno ſpes noſtræ pendérent.

IDEM dixit C. Cæſarem ſobrium acceſſiſſe ad euertendam Remp., ſentiens illum hoc iam olim animo agitaſſe, quod poſtea fecit.

SCIPIO MINOR, Ap. Claudio, qui ei in ambienda cenſura competitor erat, iactante ſe, quòd ipſe citra nomenclatorem ciues omnes nominatim ſalutaret, cùm Scipio propemodum noſſet neminem: Vera narras, inquit. Nam mihi ſtudio fuit, non vt noſſem multos, ſed ne cuiquam eſſem ignotus.

CENSOR creatus adoleſcenti cuidam equum ademit, quòd eo tempore, quo Carthago oppugnabatur, ſplendidè cœnatus libum in vrbis ſimilitudinem figuratum, cui Carthagini nomen indiderat, conuiuis diripiendum propoſuiſſet. Iuuene verò cauſſam ſciſcitante, cur equo priuatus eſſet, Quoniam, inquit Scipio, me prior Carthaginem diripuiſti.

MILITI cuidam vallum geſtanti, qui ſe dicebat onere vehementer premi: Nihil mirum, inquit, quando iſti ligno magis, quàm gladio fidis.

SCIPIO,

SCIPIO, Pompeii magni ſocer, cùm in Africâ poſt pugnam Pharſalicam, Pompeiani exercitus dux factus, res improſperè geſſiſſet; & Hiſpaniam petens, videret nauim, quâ vehebatur, ab hoſtibus captam, gladio præcordia ſua trâsverberauit. Deinde Cæſarianis militibus quærentibus: Vbi eſt Imperator? Imperator, inquit, bene habet.

CÆCILIVS METELLVS, cùm loco munito cogitaret admouere exercitum; ac centurio dixiſſet ipſi: Si decem modò hominum iacturam facere velis, capies locum: interrogauit eum, num ipſe de numero decem vnus eſſe vellet.

TRIBVNO militum cuidam è iunioribus percunctanti Metellum, quid eſſet facturus: Si eius rei, inquit, ſcirem mihi tunicam eſſe conſciam, exutam in ignem coniecisſem.

M. LICINIVS CRASSVS, percontanti, quo tempore caſtra moturus eſſet, reſpondit: Vereris, ne tubam non exaudias?

C. MARIVS cùm caſtra metatus eſſet aduerſus Teutonas, in loco, qui minimum habebat aquæ; militibus dicentibus ſe ſitire, oſtendit illis flumen proximè hoſtium vallum labens, Illînc, inquiens, vobis potus

potus ſanguine venalis eſt. At illi iuſſerunt, vt ſe, quò vellet, duceret, donec liquidum haberent ſanguinem, nec totus adhuc præ ſiti diriguiſſet.

MILLE Camerinos, qui ſe in bello aduerſus Cimbros ſtrenuos viros præſtitiſſent, honore Romanis æquauit, idque præter omne ius. Ad eos verò, qui factum hoc reprehendebant, reſpondit: Se ob armorum ſtrepitum legum vocem exaudire non potuiſſe.

IN bello ciuili cùm foſsâ cinctus obſideretur ab hoſtibus, continuit ſeſe, tempus expectans opportunum. Popedio autem Siloni dicenti: Si magnus es imperator, ô Mari, deſcende in conflictum: Imò tu, inquit, ſi magnus es imperator, coge me nolentem ad certamen venire.

C. POPILIVS miſſus erat ad Antiochum regem, epiſtolam ferens à ſenatu, quâ iubebatur, exercitum ex Ægypto abduceret, nec Ptolemæi filios orphanos regno ſpoliaret. Cùm verò rex illum per medium exercitum ad ſe accedentem procul humaniter ſalutaſſet, non reſalutato rege litteras reddidit: quibus lectis, cùm Antiochus diceret

ceret ſe conſultaturum, daturumque reſponſum: Popilius virgâ, quam tenebat, ductâ lineâ cinxit regem, dicens: Hîc igitur ſtans conſulta, & reſponde. Omnibus viri ſpiritum admirantibus, poſtea quàm Antiochus reſpondiſſet, ſe facturum quæ Romanis viderentur; ita demum ſalutauit illum, & amplexus eſt Popilius.

LVCVLLVS cùm in Armenia cum decem millibus armatorum & mille equitibus, aduerſus Tigranem tenderet, centum quinquaginta hominum millia habentem in exercitu, pridie Nonas Octobris, quo die priùs Scipionis copiæ deletæ fuerant: quodam admonente, quòd Romani diem illum vt nefaſtum & inauſpicatum metuerent: Ergo, inquit, hodie alacriter pugnemus, vt hunc quoque diem ex nefaſto funeſtoque, Romanis hilarem & auſpicatum reddamus.

AT cùm Romani cataphractos præcipuè formidarent, bono animo illos eſſe iuſſit: plus enim negotii futurum in ſpoliandis illis, quàm in vincendis. Cumque primus in collem adſcendiſſet, ſpeculatus hoſtium tumultus, exclamauit: Vicimus, commilitones: ſimulque impetu facto in hoſtes, cùm nemo

nemo irruentis impetum ſuſtineret, quinque tantùm Romanos, qui ceciderant, amiſit; hoſtium verò centum millia trucidauit.

ARCHELAO, qui iterum à Mithridate defecerat, aſſeueranti; ſi in Ponto Lucullus conſpiceretur, fore, vt omnia ſubderentur imperio Romano; reſpondit Lucullus: Non cedo, Archelae, venatoribus audaciâ, vt relictis feris ad vacua illorum luſtra progrediar. Iam enim Mithridates Pontum reliquerat.

CVM œconomus Lucullo cœnam modicam apparaſſet, accerſitum obiurgauit. Illo dicente: Non putabam ſumptuoſo apparatu opus eſſe, cùm ſolus eſſes cœnaturus: Quid ais, inquit, an ignorabas, apud Lucullum hodie cœnaturum Lucullum?

CVM Græcos quoſdam per dies aliquot magnificè tractaſſet; atque illi dicerent, ſe mirari, quòd tantum impendiorum ſuâ causâ faceret, dixit: Nonnihil, ô hoſpites, veſtrâ causâ; ſed maxima pars Luculli gratiâ.

SYLLA cognomento Fœlix, cùm milites in bello ſociali Albinum virum prætorium fuſtibus mactaſſent, tam atrox facinus impunitum reliquit, dicens, ſe illis poſthac prom-

promptioribus vſurum in prœliis, dum peccatum, fortiter gerendo rem, ſtudebunt penſare.

CVM ipſi libellum malus poëta de populo ſubieciſſet, iuſſit ei præmium tribui, ſub hac conditione, ne quid poſtea ſcriberet.

CVM Sylla defectus neceſſariis, cogeretur etiam Diis dicata tangere, Caphin amicum Delphos miſerat, vt pecunias ac donaria ad ſe perferret. Quibuſdam verò dicentibus intra templum auditum citharæ ſonum, quod oſtentum interpretabantur, quaſi Apollo citharœdus indignaretur: Caphis audita perſcripſit Syllæ: qui facetè reſcripſit hoc modo: Quin tu potiùs interpretaris iſtud eſſe ſignum gaudentis & exultantis Dei, quàm indignantis? Itaque perinde vt Deo hilariter tribuente, tu quoque bono animo pecunias accipe.

APVD Orchomenum cùm milites longiùs euagarentur, ordinibusque perturbatis fugam caperent; Sylla ex equo deſiliens, arrepto vexillo, in hoſtem conuolat, ita vociferans: Mihi quidem, ô Romani milites, hîc pulchrum eſt mori. Vos interrogati, quo loco ducem veſtrum amiſeritis, memineritis dicere,

dicere, apud Orchomenum. Hac voce ſuos reuocauit.

CVM Mithridates Syllæ proceſſiſſet obuiam, dextramque porrexiſſet, Sylla non reſalutauit: ſed percunctatus eſt, num à bello deſiſteret his conditionibus, quas cum Archelao pactus eſſet. Obticeſcente Mithridate: Quibus pace opus eſt, inquit Sylla, eos priores loqui conuenit; victori ſilere ſatis eſt.

CVM cogitaret de occidendo C. Cæſare, amicis, ne id faceret, dehortantibus; indignum enim eſſe talem necare puerum; Deſipitis, inquit, ſi in hoc puero non videtis multos ineſſe Marios.

CASSIVS cùm Rhodum inſulam vi cepiſſet, & in ingreſſu ſalutaretur rex atque dominus; Nec rex ſum, inquit, nec dominus; ſed regis ac domini interfector.

M. CRASSVS ille diues in Parthos proficiſcens, cùm Deiotarum extremæ iam ſenectutis, nouam vrbem condere videret: Quid eſt, inquit, ô rex, hoc rei, quòd, cùm hora diei iam adſit duodecima, nouam vrbem extruere inſtitueris? Ad hæc arridens Deiotarus: Immò quid tibi in mentem venit, Imperator, vt, cùm haudquaquam ſis,

vt vi-

vt videtur, matutinus, tamen in Parthos cum exercitu properes? Nam id temporis Craſſus ſexageſimum agebat annum.

CVM Parthi per legatos denuntiaſſent, vt ſuæ ætati conſulens à bello abſtineret, inſolenter reſpondit: In Seleucia iſtis mandatis reſponſum dabimus. Hîc Agiſis legatorum vnus, ſublatâ manu, mediam palmam oſtendens: Priùs, inquit, in hac manu naſcentur ſetæ, quàm tibi Seleuciam conſpiciendi ſit futura poteſtas.

CONFLICTVRO cum Parthis exta è manibus deciderunt. Hoc cæteris vt inauſpicatum oſtentum interpretantibus, ac prœlium diſſuadentibus: Huiuſmodi, inquit, incommoda multa nobis ſenectus adfert: at arma mihi numquam è manibus ceciderunt.

M. BRVTVS rebus in ſummam deſperationem adductis, cùm è ducibus atque amicis paucos apud ſe haberet, ſublatis oculis in cœlum ſtellis plenum, dixit hunc verſiculum Græcum è tragœdia quapiam:

Ζεῦ μὴ λάθοι σε, τοῦνδ' ὃς αἴτιος κακῶν.
Ne te latuerit, ô ſupreme Iupiter,
Horum malorum quiſquis auctor extitit.

velut imprecans Cæsari vindictam à Diis.

QVODAM ex his, qui aderant, præcipuo monente, vt illinc fugeret Brutus: Prorsus, inquit, fugiendum, sed manibus, non pedibus: significans morte spontaneâ vitandam Cæsarianorum tyrannidem.

VLTIMVM prœlium initurus, dehortantibus quibusdam, ne se tanto discrimini committeret: Hodie, inquit, aut rectè erit, aut nihil curabo.

HVIVS vxor Porcia Catonis filia, postea quàm sensit conspiratum de Cæsare interficiendo; eâ nocte, quæ præcessit diem, in quo Cæsar occisus est, egresso cubiculum Bruto, cultellum tonsorium velut vnguium resecandorum gratiâ popposcit; eoque quasi fortè de manibus elapso, seipsam grauiter vulnerauit. Mox Brutus clamore ancillarum in cubiculum reuocatus, obiurgare eam cœpit, quòd tonsoris præripuisset officium. Hîc illa clam marito: Non hoc, inquit, temerè feci. Nam experiri volui, si, quod constitutum est, parum cesserit ex sententia, quàm æquo animo me ferro sim peremptura.

CONFLAVIT C. Iulio Cæsari magnam inui-

inuidiam, quòd quidam ex his, quos Romam miserat, stans in senatu, simulatque cognouit, Cæsari senatum non dare prorogationem, manu capulum percutiens, At hic, inquit, dabit: vim Reip. minitans.

De Mario tyrannorum septimo dictum est, quòd vnâ die factus est imperator, aliâ visus est imperare, tertiâ interemptus est à milite, qui percussurus illum, dixit: Hic est gladius, quem ipse fecisti. Fuerat enim faber ferrarius. Allusit autem interemptor ad illud prouerbium: Tuo te gladio iugulo.

Miles quidam in conuiuio iactabat sibi balistam esse, quæ iaculum excuteret ad spatium nulli credibile. Reclamantibus conuiuis omnibus, adfirmabat famulum suum id vidisse factum. Accersito famulo, percunctatus est illum, an non ipse vidisset, quod narraret. Tum famulus: Verum, inquit, narras, here; sed tum vento secundo miseras sagittam.

Cvm seniores Numantini victis suis ignauiam exprobrarent, qui nunc eos fugissent, quos toties in fugam verterant: Numantinus quidam respondisse fertur: Nunc quidem oues eædem sunt, sed alius pastor:

ſignificans Scipionem ducem eſſe cauſam mutatæ fortunæ bellicæ, licet iidem eſſent milites.

ROMANI cùm in pugna cum Tigrane, hoſtium peditum centum millia trucidaſſent, paucis equitum fugâ ſeruatis; cùm ex ipſis (qui decem millium numerum non exçeſſerant) non amplius centum eſſent vulnerati, interfecti quinque: dicebant ſeſe erubeſcere, quòd in tam vilia mancipia diſtrinxiſſent ferrum.

IVNIVM Baſſum, hominem cum primis dicacem, vulgus aſinum album appellabat; quòd feliciter eſſet ſtupidus ac ridiculus. Alba enim veteres fœlicia vocabant.

PHILIPPVS orator in malè olentem, Video, inquit, me à te circumueniri.

C. IVLIO Cæſare iam palam multa vi præterque leges agente, Conſidius admodum natu grandis liberè dixit; ideò non venire ſenatores, quòd illius arma timerent: Huic cùm Cæſar dixiſſet: Quin igitur tu eodem metu te domi contines? Me, inquit Conſidius, ſenectus intrepidum facit. Cùm enim vitæ pauxillum ſuperſit, non eſt, cur magnopere ſim ſollicitus.

TEM-

TEMPORIBVS triumuiralibus cùm Octauius, Lepidus & Antonius rerum potirentur, Augustus in Pollionẽ scripserat Fescenninos, ludibrii causâ. Tum Pollio: At ego, inquit, taceo. Non est enim facile, in eum scribere, qui potest proscribere.

VETERANVS quidam cùm vocatus in ius periclitaretur, adiit in publico Augustum Cæsarem, rogans, vt sibi vellet adesse. Cæsar è comitatu suo selectum ilicò dedit, eique litigatorem commendauit. Hîc miles vociferans: At non ego, Cæsar, periclitante te Actiaco bello, vicarium quæsiui, sed pro te ipse pugnaui, simulque detexit cicatrices. Erubuit Cæsar, atque ipse descendit in aduocationem.

IVLIA Augusti filia, cuidam graui amico suadenti, vt se ad exemplum paternæ frugalitatis componeret, satis procaciter respondit: Ille obliuiscitur se Cæsarem esse; ego memini, me Cæsaris esse filiam.

TIBERIO Cæsari cunctanter & ægrè suscipienti delatum imperium, quidam in os ausus est dicere: Cæteri quod pollicentur, tardè præstant: tu quod præstas, tardè polliceris. Notata est illius simulata cunctatio,

videlicet quòd ſpecie recuſantis flagrantiſſimè cuperet.

THEODORVS Gaudareus Tiberii in Rhetoricis præceptor, animaduertens in puero ſanguinarium ingenium ſub ſpecie lenitatis latitans, ſubinde inter obiurgandum appellauit illum, Πηλὸν αἵματι συμπεφυρμένον: id eſt; Lutum ſanguine maceratum: nam progreſſu temporis ad immanem crudelitatem deuenit.

NERO imperator puerum Sporum exectis teſtibus in muliebrem naturam transfigurare conatus eſt. Addita dos, additum flammeum, addita celeberrima nuptiarum ſollennitas. Quid multis? palam pro vxore habuit. Hinc fertur cuiuſdam non inſcitus iocus: Bene agi potuiſſe cum rebus humanis, ſi Domitius Neronis pater talem habuiſſet vxorem.

AGRIPPINA Neronis mater cùm iuſſu filii occideretur; ac centurio ferrum in mortem diſtringeret; ventrem oſtendens clamabat: Hunc percute, hic eſt ferro fodiendus, qui portentum illud genuit.

HADRIANVS Cæſar Seuerianum & Fuſcum huius nepotem, eo quòd moleſtè ferre vide-

viderentur, Commodum Lucium imperii ſucceſſorem deſignatum, iuſſit occîdi: quorum ille nonagenarius erat, hic annos natus decem & octo. Senex autem cùm eſſet iugulandus, popoſcit ignem, incenſoque thure dixit: Vos, Dii, teſtor, me nihil ſceleris commiſiſſe; nec aliud imprecor Hadriano, niſi vt, cùm volet, mori non poſſit. Idque euenit, adeò vt barbarus conductus, qui ferro mortem pro beneficio daret, aufugerit.

Cascellivs iuriſconſultus vrbanitatis miræ libertatisque habebatur: præcipuè tamen is iocus eius innotuit. Lapidatus à populo Vatinius, cùm gladiatorium munus ederet, obtinuerat, vt ædiles edicerent, ne quis in harenam niſi pomum miſiſſe vellet. Fortè his diebus Caſcellius conſultus à quodam, an nux pinea pomum eſſet, reſpondit: Si in Vatinium miſſurus es, pomum eſt.

Idem mercatori, quemadmodum cum ſocio nauim communem diuideret, interroganti reſpondiſſe traditur: Nauim ſi diuidis, nec tu nec ſocius habebitis.

Favorinvs philoſophus in adoleſcentem priſcarum & iam obſoletarum vocum affectatorem: Curius, inquit, & Fabricius di-

lucidè cum ſuis fabulati,& ætatis ſuæ verbis locuti ſunt. Tu verò perinde quaſi cum matre Euandri nunc loquaris, verbis iam olim deſitis veteris. Quòd ſi intelligi non vis, quæ loqueris, non hoc abunde conſequeris tacens?

FAVSTVS Syllæ filius in ſororem, quæ eodem tempore cum duobus adulteris haberet conſuetudinem, Fuluio Fullonis filio & Pompeio cognomine Macula, facetiſſimè luſit: Miror, inquit, ſororem meam habere maculam, cùm fullonem habeat.

SERVILIVS Geminus cœnans apud Lucium Mallium, qui Romæ pictor inſignis habebatur; cùm videret filios illius deformes: Haud ſimiliter, inquit, Malli, fingis, ac pingis. Et Mallius: Non mirum, inquit. In tenebris enim fingo, luce pingo.

CVM Brutus iunior fundos ædesque paternas luxu prodegiſſet, & in his etiam balneas; & in ſermone quodam diceret, ſe fruſtrà ſuadere: Non mirum, inquit Craſſus. Nuper enim exiſti è balneis.

PHILIPPVS cauſam agens, cùm puſillus teſtis prodiſſet; Licétne, inquit, rogare? cùm quæſtor properans dixiſſet: Licet, modò breui-

breuiter. hîc Philippus: Non accuſabis; per-
puſillum rogabo. Primùm in teſtem riſus
obortus eſt : ſed mox in iudicem Lucium
Aurificem conuerſus, qui ſedebat ipſo teſte
breuior.

SPVRIO Caruilio grauiter claudicanti ex
vulnere ob Remp. accepto, & ob claudica-
tionis vitium in publicum prodire verecun-
danti, mater dixit: Quin prodis, mi Spuri? &
quotieſcumque gradum facis, toties tibi
tuarum virtutum veniet in mentem.

CVM in triumpho C. Cæſaris oppida
eburnea fuiſſent circumlata; ac paucis pòſt
diebus in triumpho Fabii Maximi lignea
deportarentur: Chryſippus ludens dixit, eas
eſſe thecas oppidorum Cæſaris. Solent
enim res pretioſæ ligneis thecis muniri.

MANIVS Curius Campatium de thea-
tro exeuntem interrogauit, num ſpectaſſet.
Campatius ſtultitiam hominis ſic irriſit;
Non, inquiens; ſed in orcheſtra pilâ luſi.
Quid aliud feciſſet in theatro, niſi vt ſpe-
ctaret. Sed multò abſurdius eſt, in orcheſtra
pilâ ludere.

EQVES Romanus obiicienti Auguſto,
quòd patrimonium deuoraſſet; Meum, in-
quit, putaui.

CASSIVS Seuerus cuidam obiicienti, quòd Proculeius ei domo interdixisset; Nunquid, inquit, ego illuc accedo? eluſit hoc modo obiectionem.

CATVLVS Philippo oratori dicenti: Quid latras? respondit: Furem video: conuicium latrandi in ipsum retorquens, notans hominis rapacitatem.

IDEM Catulus, cùm orator quidam malus, qui in epilogo se putabat mouisse misericordiam, postquàm assedit, rogaret hunc, videretúrne mouisse misericordiam? Ac magnam quidem, inquit. Neminem enim esse puto tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit.

SCIPIO in Neuium quendam: Quid hoc, inquit, Neuio ignauius? Lusit è contrario mutatâ litterulâ.

SCIPIO, cùm ei M. Flaccus, multis probris obiectis, P. Mucium iudicem tulisset; Eiero, inquit, iniquus est. Huic voci cùm esset admurmuratum: Ah, inquit, patres conscripti, non ego mihi illum iniquum eiero, sed omnibus. Expectabatur, vt purgaret, quod dixerat, sed aggrauauit.

DOMITIVS Afer Didio Gallo, qui prouinciam

uinciam ambitioſiſſimè petierat ; mox impetratâ eâ , querebatur , quaſi coactus eſſet; Age, inquit, aliquid & pro Rep. elabora. Iocus eſt ab ironia; ſimulque alluſum illuc eſt, quòd magiſtratum magno ſibi ſtudio ambiſſet.

IDEM in quendam patronum imperitum, ſed ſplendido veſtitu ſe venditantem litigatoribus, lepidè dixit: Homo in agendis cauſis bene veſtitus. Luſit ab inexſpectato.

L. GALBA cuidam pilam negligenter petenti, Petis, inquit, tamquam Cæſaris candidatus. Huius competitores multis de cauſis negligentiùs ambiebant.

IDEM quum domum vndique perſtillantem perlucentemque haberet, cuidam penulam roganti vrbaniſſimè ait: Non poſſum commodare, domi maneo.

IDEM Mæcenatem acceperat conuiuio, cumque ſentiret illum velle ad ipſius vxorem ludere, ſimulauit ſe dormire; quò magis liceret Mæcenati quod libebat. Interea cùm acceſſiſſet aliquis, volens quædam è menſa tollere, ibi Galba: Infœlix, inquit, huic dormio, non tibi.

QVIDAM interrogatus, quid ſentiret de eo,

co, qui fuerat in adulterio deprehenſus: Tardus, inquit, mihi fuiſſe videtur.

QVIDAM deploranti, quòd vxor ſua ſe de ficu ſuſpendiſſet; Rogo, inquit, des mihi furculum ex illa arbore, vt inſeram.

SYLLA cùm Prænesſte oppidum armis cepiſſet, decreuiſſetque, quicquid erat ciuium trucidare, hoſpitem ſuum iuſſit excipi. At ille contrà liberè: Nolo, inquit, patriæ meæ extinctori debere vitam: ſimulque turbæ ciuium ſeſe admiſcuit, & cum illis trucidatus eſt.

CVM Collatinus cum paucis familiaribus ad Lucretiam veniſſet, à Sexto Tarquinio vi ſtupratam: quærenti viro ex more: Satin' ſaluæ? Minimè, inquit Lucretia: quid enim ſalui mulieri amiſsâ pudicitiâ? veſtigia alieni viri, Collatine, in lecto ſunt tuo. Sed corpus tantùm violatum eſt; animus inſons eſt; mors teſtis erit. His dictis, cultrum, quem abditum habebat, in corpore infixit, & collapſa eſt moribunda.

C. PLAVTIVS conſul de Priuernatibus, qui à Romanis deſciuerant, ad ſenatum retulit: ac variantibus ſententiis, quidam Priuernatum legatos percunctatus eſt, quam pœnam

pœnam viderentur meruisse: Eam, inquit è legatis vnus, quam merentur, qui se libertate dignos censent. Hîc consul: Quid, inquit, si vobis pœnam remittimus, qualem vobiscum pacem habituri sumus? Si bonam dederitis, inquit; & fidelem & perpetuam: si malam, haud diuturnam.

ROMANI dicebant, primos Gallorum impetus plus quàm virorum esse; postremos minùs quàm fœminarum.

CVM exercitus Romanus terga daret Samnitibus, M. Attilius consul equo prouectus ad portam castrorum edixit; vt quicumque miles ad vallum tenderet, siue Samnis esset siue Romanus, pro hoste haberetur: Quò pergis, inquit, miles? Hîc arma & viros inuenies; nec viuo consule tuo, nisi victor castra intrabis. Proinde elige, cum ciue, an cum hoste pugnare malis.

SAGVNTO à Pœnis contra fœdus oppugnatâ, Romani legatos misêre Carthaginem, in quibus erat Qu. Fabius, exploraturos, an id publico consilio factum esset. Ad id cùm quidam Carthaginensium princeps ferociùs respondisset, Romanus, sinu ex toga facto: En, inquit, vobis bellum & pacem appor-

apportamus; vtrum placet, ſumite. Cùm Pœni ferociùs reclamarent: Daret, vtrum vellet: Romanus effuſo ſinu: Bellum, inquit, damus. Reſponderunt Pœni, ſe accipere, eoque animo geſturos, quo ille daret.

ROMVLVS primus vrbis Romæ conditor, legitur vini fuiſſe parciſſimus. Is ad cœnam vocatus, cùm ibi minimum bibiſſet, eo quòd poſtridie negotium haberet; dicunt illi familiares: Si ad iſtum modum bibant omnes homines, vinum eſſet vilius. Ille reſpondit: Immò verò carius, ſi, quantum quiſque volet, bibat. Nam ego bibi, quantum volui.

T. MANLIVS Torquatus conſulatum magno conſenſu recuſauit, excuſans aduerſam valetudinem oculorum: ſed inſtantibus cunctis: Alium, inquit, Quirites, quærite, cui mandetis iſtum honorem. Nam ſi me ſuſcipere coëgeritis, nec ego mores veſtros ferre, nec vos meum imperium perpeti poteritis.

C. FIMBRIA procurârat, vt Scæuola in funere C. Marii iugularetur: quem vt cognouit ex vulnere recreatum, apud populum deferre inſtituit. Rogantibus, quid optimo

inno-

innocentiſſimoque viro eſſet obiecturus: Obiiciam, inquit, quòd parciùs corpore telum recepit: quaſi hoc ipſum crimen eſſet, non periſſe.

SCÆVOLA alius, vir tum iuris prudentiâ, tum Marci Antonini Imperatoris amicitiâ celebris, dicere ſolitus eſt: Ius ciuile vigilantibus ſcriptum eſſe, non dormitantibus.

IDEM Mucius Scæuola, conſultus, quidnam feriis agi liceret, reſpondit, Quod prætermiſſum noceret.

CVM M. Tullius in ſenatu dixiſſet, incendium à Catilina excitatum: Sentio, inquit Catilina; idque ſi aquâ non potuero, ruinâ extinguam.

AVLVS Fuluius filium ingenio, literis & formâ florentem, quoniam in Catilinæ caſtra properabat, ex itinere retractum occîdit, dicens: Ego te non Catilinæ aduerſus patriam, ſed patriæ aduerſus Catilinam genui.

CVM nauis, quâ Granius prætorius quæſtor vehebatur, in Scipionis Metelli poteſtatem veniſſet; Scipioque cæteris direptis, quæſtori ſalutem polliceretur: quæſtor ita reſpondit: Cæſaris milites ſalutem dare, non acci-

accipere ſolent. Tantum locutus, pugione ſeſe confodit.

GRANIVS præco patrono malo, cùm dicendo vocem obtudiſſet, ſuaſit, vt, ſimul ac domum rediſſet, frigidum mulſum biberet. Cùm is reſpondiſſet: Perdam vocem, ſi id fecero: Melius eſt, inquit Granius, perdere vocem, quàm reum.

C. FVRIVS Creſinus è ſeruitute liberatus, cùm è paruo admodum agello largiores multò fructus perciperet, quàm ex ampliſſimis vicinitas, in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem à Sp. Albino curuli die dictâ, metuens damnationem, cùm in ſuffragium tribus oporteret ire, inſtrumentum ruſticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque bene curatam ac veſtitam, ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderoſos, boues ſaturos. Poſtea dixit: Veneficia mea, Quirites, hæc ſunt: nec poſſum vobis oſtendere aut in forum adducere lucubrationes, vigiliasque & ſudores. Omnium ſententiis eſt abſolutus.

C. SVLPICIVS Gallus vxorem repudiauit, quòd aperto capite fuiſſet foris: Lex, inquiens,

quiens, tibi meos vnius præfinit oculos, quibus formam tuam approbes: his ornamenta comparato; his eſto ſpecioſa: aliis velle videri formoſam, in ſuſpicione & in crimine hæreat, neceſſe eſt.

M. Livivs fuſo Haſdrubale, nonnullis ſuadentibus, vt hoſtes ad internecionem inſequeretur: Aliqui, inquit, & ſuperſint, qui de victoria noſtra nuntium hoſtibus perferant.

L. Philippvs conſul L. Craſſo ſummæ dignitatis & eloquentiæ viro, manum iniici iuſſerat, eo quòd vocem illius indignè ferret, quâ dixerat, ſibi alio ſenatu opus eſſe. At Craſſus reiecto lictore: Non es, inquit, mihi, tu Philippe, conſul; quando ego tibi non ſum ſenator.

L. Crassvs apud Perpennam iudicem defendebat Aculeonem, quem accuſabat L. Ælius Lamia homo deformis. Is cùm interpellaret odiosè: Audiamus, inquit Craſſus, pulchellum puerum. Cùm eſſet arriſum: Non potui mihi (inquit Lamia) formam ipſe fingere, ingenium potui. Tum Craſſus: Audiamus igitur, inquit, diſertum. Multò arriſum eſt vehementiùs.

L. PORCIVS Naſica cùm ex more conceptis verbis à Catone cenſore rogaretur: Ex tui animi ſententia: Tu vxorem habes? Non Hercle, inquit, ex animi mei ſententia. Ob eum iocum intempeſtiuum multa illi dicta eſt.

SCIPIO Naſica cùm ad poëtam Ennium veniſſet, eiq́ue ab oſtio quærenti Ennium, ancilla dixiſſet, eum domi non eſſe: Naſica ſenſit illam hoc domini iuſſu dicere, & illum intùs eſſe. Ac tum quidem diſſimulans abiit. At paucis poſt diebus cũ ad Naſicam veniſſet Ennius, cumq́ue à ianua quæreret, exclamat ipſe Naſica, ſe domi non eſſe. Tum Ennius: Quid? ego, inquit, non agnoſco vocem tuam? Hîc Naſica: Næ tu homo es impudens: ego cùm te quærerem, ancillæ tuæ credidi; tu mihi non credis ipſi?

IDEM Naſica quibuſdam dicentibus, res Romanas iam in tuto eſſe, extinctis Carthaginienſibus, & Græcis in ſeruitutem redactis: Immò, inquit, nunc denique ſummo in periculo ſumus, poſtea quàm nulli ſuperſunt, quos vel timeamus, vel reuereamur.

IDEM cùm ædilitatem curulem adoleſcens peteret, ac, vt candidati ſolent, manum

num cuiuſdam opere duratam prenſaret, rogauit hominem, num manibus ambularet. Hoc dicto ruſticanæ tribus ſuſpicantes ſibi exprobratam paupertatem, effecerunt, vt repulſam ferret.

In Gallico triumpho, milites hos verſiculos iactabant in Cæſarem:

Vrbani, ſeruate vxores, mœchum caluum adducimus.

Auro in Gallia ſtuprum emiſti, hîc ſumpſiſti mutuum.

Curio pater in oratione quadam appellat illum, omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem.

Libo cùm Seruilio Galbæ dixiſſet: Quando tandem, Galba, exibis de triclinio tuo? mox audiit: Cùm tu de cubiculo alieno. Libo notauit Galbam, quòd L. Scribonio tribuno plebis iudices ferret familiares ſuos & conuiuiis corruptos. Galba viciſſim illum notauit adulterii.

Testio Penario mos erat in dicendo, mentum intorquere. Is cùm aduerſarium vrgeret, vt diceret, ſi quid vellet: Dicam, inquit, ſi nucem fregeris.

Hvic ſimillimum eſt, quod de Veſpaſia-

no patre narrat Suetonius : cùm ſcurram multa in alios iacientem prouocaſſet, vt in ſe quoque diceret aliquid : Dicam, inquit, vbi ventrem exonerare deſieris: alludens ad formam Cæſaris, qui faciem habebat nitentis. In cuiuſmodi hominem iocus extat Martialis:

Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis:
Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes.

AFRICANVS cenſor tribu mouebat centurionem, qui in pugna non adfuerat. Ille cùm diceret, ſe cuſtodiæ causâ in caſtris remanſiſſe, rogaretque, cur ab eo notaretur: Non amo, inquit Africanus, nimium diligentes.

MANCIA cùm audiſſet Antonium cenſorem, cui malè volebat, à M. Duronio de ambitu poſtulatum: Aliquando, inquit, tibi tuum negotium agere licebit. Cenſores in aliorum mores inquirunt : at qui reus eſt, habet ex ſe, quod agat.

CVM Pompeius graui laboraret inuidiâ propter immodicam potentiam ; & ob vulnus faſciâ lineâ tibiam vinctam haberet, dixit aliquis: Quid refert, vbi geſtet diadema, in capite an in crure ? Nam candidum ami-

amiculum olim erat insigne regum.

QVONIAM Fabius cunctando eludebat hostem, cùm Marcellus viribus vrgeret Hannibalem: ille dictus est clypeus Romanorum, hic ensis: quòd illi præcipuum studium fuit, ne quid cladis acciperent Romani; alteri, vt hostem perimeret.

PLANCVS cùm in causa quadam adesset amico, velletque testem molestum perturbare; interrogauit, quo se artificio tuéretur. Sciebat enim illum esse sutorem. At ille lepidè retorquens in Plancum: Gallam, inquit, subigo. Id quidem sutorium habetur instrumentum: sed rectè exprobrabat illi adulterium cum Meuia Galla, quo nomine Plancus malè audiebat.

POST Mutinensem fugam, percunctantibus, quid ageret Antonius, quidam è familiaribus eius respondisse fertur. Id quod canis in Nilo: bibit, & fugit. Constat enim in Ægypto canes è Nilo currentes bibere: nimirum metu crocodilorum eo in flumine regnantium.

TITIVS quidam studiosè pilâ ludere solet: sed idem noctu signa sacra frangere putabatur. Hunc cùm gregales in campo desi-

derarent, Veſpa Terentius hoc colore excuſauit, quòd diceret illum fregiſſe brachium. Nam diuorum imagines brachiis geſtabant donaria.

APPIVS homo dicax vſque ad ſcurrilitatem, Caio Sextio dixit: Cœnabo apud te: nam vni locum eſſe video: notans illum, quòd luſcus eſſet. Cui Sextius ex tempore: Manus, inquit, laua, & cœna: tectè obiiciens illi impudicitiam, aut certè rapacitatem.

APPIVS Claudius dicere ſolitus eſt; Populo Romano longè meliùs committi negotium, quàm otium: ſentiens multitudinem bellis excitari ad virtutem, in pace defluere ad voluptates ac luxum, ex quibus naſcitur Rerump. exitium.

MARTIA Catonis filia minor, rogata, cur à morte mariti nollet iterum nubere: Quoniam, inquit, non inuenio virum, qui me magis velit, quàm mea.

EADEM cùm diutiùs lugeret maritum, rogata, quem eſſet habitura diem luctus vltimum; reſpondit: Quem & vitæ.

VALERIA Meſſalarum ſoror, rogata, cur amiſſo Seruio viro, nulli vellet nubere; Quoniam, inquit, mihi ſemper viuit maritus Seruius.

ATTI-

ATTILIVS eruditiſſimè ſimul & facetiſſimè dixit: Satius eſt, otioſum eſſe, quàm nihil agere.

PLINIVS maior dicebat, nullum eſſe librum tam malum, qui non aliquâ parte prodeſſet.

AVFIDIVS Modeſtus Quintum in morbo ſibi dicentem, manus eſſe frigidas, hoc ſcommate taxauit: Atqui calidas è prouincia extuliſti: notans eum, quòd proconſul adminiſtrans prouinciam, multa furatus eſſet.

BASSIANVS Antoninus Imp. magnâ laborabat inuidiâ, quòd fratrem occidendum curaſſet: eoque Æmilio Papiniano prætorii præfecto, ob eximiam iuris prudentiam ſummæ apud Romanos auctoritatis, negotium dederat, vt hoc facinus apud ſenatum defenderet. At is reſpondit, multo faciliùs parricidium perpetrari, quàm defendi. Ob hanc liberam vocem Baſſianus occîdit virum immortalitate dignum.

IVLIVS Maximus proditione militum interfectus eſt, vnà cum filio Diadumeno etiamnum puero: quo tempore conclamatum eſt à militibus: Ex peſſimo genere ne catu-

lum quidem esse relinquendum.

CVM M. Bruto tota ferè Lusitania sese dedidisset, sola vrbs Ciania pertinaciter arma retineret; tentatum est per Bruti legatos, vt, datâ pecuniâ, perseuerarent esse sui iuris. Verùm his populus Cianensis vno ore respondit, sibi ferrum à maioribus relictum, quo vrbem tuerentur; non aurum, quo libertatem redimerent.

FVRNIVS Antonii partes secutus fuerat. At posteaquàm victoria cessit Augusto, metuens sibi, subornauit filium, qui à victore veniam peteret. Petiit, & impetrauit. Tum Furnius his verbis Cæsari gratias egit: Hæc vna, ô Cæsar, abs te mihi facta est iniuria: effeciſti, vt mihi & viuendum, & moriendum sit ingrato.

LIBERTINVS quidam prædiues aiebat sibi facilem fuisse viam ad diuitias, posteaquam pœnituerat ipsum bonæ mentis.

LATRO Porcius, cuius ingenium supra modum miratur Seneca, cùm Maxillus Rhetor exilitatem orationis suæ imputaret controuersiæ, diceretque: Necesse est, me per spinosum locum ambulantem, suspensos habere pedes: Non mehercule, inquit, tui

tui pedes ſpinas calcant, ſed habent.

SEVERVS Caſſius, qui alienas ſententias, paucis immutatis vocibus, vſurparent pro ſuis, dicere ſolet: Eos eſſe ſimiles furibus, qui poculis alienis mutarent anſas, ne poſſent agnoſci.

PROCVLEIVS querebatur de filio, quòd expectaret mortem patris: cumque filius reſpondiſſet: Ego verò non expecto: Imò, inquit, rogo, vt expectes. Detorſit verbum in contrarium ſenſum.

DVILLIVS, qui primus Romæ è nauali pugna triumphum obtinuit, audiens exprobrari ſibi graueolentiam oris, expoſtulauit cum Bilia vxore, cur huius vitii nunquam admonuiſſet, quo licuiſſet mederi: Putabam, inquit illa, omnibus viris ad eundem modum olere animam.

VECTIVM Valentem ferunt, quum metueret à Claudio Hoſtiæ agente, laſciuiâ in prærltam arborem conniſum, interrogantibus, quid adſpiceret, reſpondiſſe, tempeſtatem ab Hoſtia atrocem: quum de Meſſalinæ adulteriis quæſtionem acrem futuram innuere vellet, cunctis in aurem dormientibus.

SAMIAS homo fatuus & ingenii ſtolidi hydriam vacuam capiti loco puluinaris appoſitam, quum duritie offenſus paleis impleuiſſet, quæſitumque eſſet, cur id faceret, reſpondit, quo molliùs tomenti vice illi incubem.

CASSIVS Seuerus, quum ex S. C.to libri eius exurerentur, Nunc, inquit, ſupereſt, vt ipſe viuus comburar, qui illos edidici.

ANONYMVS interrogatus, quid ante mundum conditum Deus faceret, Curioſis, inquit parabat inferos.

ACCIVS poëta aiebat: Nihil credo auguribus, qui aures verbis diuitant alienas, ſuas vt auro locupletent domos.

QVIDAM interrogatus, cur, quum Alphonſus erga omnes liberalis exiſteret, ſolos Aſtrologos præteriret, qui nulli in eius palatio viſi ſunt, Sidera, inquit, ſtultos regunt, impelluntque; ſapientes aſtris imperant.

QVENDAM in puteum delapſum quiſpiam conſpicatus, dixit: Miſer, quomodo in puteum decidiſti? Quid refert, inquit ille, quomodo inciderim? Hoc potiùs age, vt hinc poſſim educi.

CLIENS quidam quum Cœlio oratori omnia

omnia in ſermone concederet, ille iam longâ aſſentatione euocatus; Dic, ait, contrà, vt duo videamur.

ALPHONSVS quum audiiſſet Senenſes, qui in bello Italico medii extitiſſent, in neutram partium inclinantes, poſtea ſedato bello, prædam militum fuiſſe; dixiſſe fertur: Senenſibus eueniſſe, quod his ſolet, qui mediam domum incolunt, vt ab inferioribus fumo, à ſuperne habitantibus vrinâ vexentur.

QVVM à Iacobo Alemanno Iudæis parentibus nato, diui Ioannis aureum ſimulachrum vænale exhiberetur aureis quingentis: Non tu ſanè ineptus es, inquit, diſcipuli imaginem tanti æſtimans; quum maiores tui eius magiſtrum triginta non ampliùs denariis vendiderint?

IDEM magiſtratum cotem appellare ſolitus eſt, quo hominum ingenia probantur. Magiſtratus enim, vt celebratur prouerbio, virum indicat.

ZISCA Huſſitarum dux fortiſſimus, iam moriturus, quum à militibus interrogaretur, quomodo ſepeliri cuperet, Pellem mihi mortuo, inquit, detrahite; relictoque feris

L. PORCIVS Naſica cùm ex more conceptis verbis à Catone cenſore rogaretur: Ex tui animi ſententia: Tu vxorem habes? Non Hercle, inquit, ex animi mei ſententia. Ob eum iocum intempeſtiuum multa illi dicta eſt.

SCIPIO Naſica cùm ad poëtam Ennium veniſſet, eiq́ue ab oſtio quærenti Ennium, ancilla dixiſſet, eum domi non eſſe: Naſica ſenſit illam hoc domini iuſſu dicere, & illum intùs eſſe. Ac tum quidem diſſimulans abiit. At paucis poſt diebus cũ ad Naſicam veniſſet Ennius, eumq́ue à ianua quæreret, exclamat ipſe Naſica, ſe domi non eſſe. Tum Ennius: Quid? ego, inquit, non agnoſco vocem tuam? Hîc Naſica: Næ tu homo es impudens: ego cùm te quærerem, ancillæ tuæ credidi; tu mihi non credis ipſi?

IDEM Naſica quibuſdam dicentibus, res Romanas iam in tuto eſſe, extinctis Carthaginienſibus, & Græcis in ſeruitutem redactis: Immò, inquit, nunc denique ſummo in periculo ſumus, poſtea quàm nulli ſuperſunt, quos vel timeamus, vel reuereamur.

IDEM cùm ædilitatem curulem adoleſcens peteret, ac, vt candidati ſolent, manum

num cuiusdam opere duratam prensaret, rogauit hominem, num manibus ambularet. Hoc dicto rusticanæ tribus suspicantes sibi exprobratam paupertatem, effecerunt, vt repulsam ferret.

In Gallico triumpho, milites hos versiculos iactabant in Cæsarem:

Vrbani, seruate vxores, mœchum caluum adducimus.

Auro in Gallia stuprum emisti, hîc sumpsisti mutuum.

Curio pater in oratione quadam appellat illum, omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem.

Libo cùm Seruilio Galbæ dixisset: Quando tandem, Galba, exibis de triclinio tuo? mox audiit: Cùm tu de cubiculo alieno. Libo notauit Galbam, quòd L. Scribonio tribuno plebis iudices ferret familiares suos & conuiuiis corruptos. Galba vicissim illum notauit adulterii.

Testio Penario mos erat in dicendo, mentum intorquere. Is cùm aduersarium vrgeret, vt diceret, si quid vellet: Dicam, inquit, si nucem fregeris.

Hvic simillimum est, quod de Vespasia-

no patre narrat Suetonius : cùm ſcurram multa in alios iacientem prouocaſſet, vt in ſe quoque diceret aliquid : Dicam, inquit, vbi ventrem exonerare deſieris: alludens ad formam Cæſaris, qui faciem habebat nitentis. In cuiuſmodi hominem iocus extat Martialis:

Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis:
Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes.

AFRICANVS cenſor tribu mouebat centurionem, qui in pugna non adfuerat. Ille cùm diceret, ſe cuſtodiæ causâ in caſtris remanſiſſe, rogaretque, cur ab eo notaretur: Non amo, inquit Africanus, nimium diligentes.

MANCIA cùm audiſſet Antonium cenſorem, cui malè volebat, à M. Duronio de ambitu poſtulatum: Aliquando, inquit, tibi tuum negotium agere licebit. Cenſores in aliorum mores inquirunt : at qui reus eſt, habet ex ſe, quod agat.

CVM Pompeius graui laboraret inuidiâ propter immodicam potentiam ; & ob vulnus faſciâ lineâ tibiam vinctam haberet, dixit aliquis: Quid refert, vbi geſtet diadema, in capite an in crure ? Nam candidum ami-

amiculum olim erat insigne regum.

QVONIAM Fabius cunctando eludebat hostem, cùm Marcellus viribus vrgeret Hannibalem: ille dictus est clypeus Romanorum, hic ensis: quòd illi præcipuum studium fuit, ne quid cladis acciperent Romani; alteri, vt hostem perimeret.

PLANCVS cùm in causa quadam adesset amico, velletque testem molestum perturbare; interrogauit, quo se artificio tuéretur. Sciebat enim illum esse sutorem. At ille lepidè retorquens in Plancum: Gallam, inquit, subigo. Id quidem sutorium habetur instrumentum: sed rectè exprobrabat illi adulterium cum Meuia Galla, quo nomine Plancus malè audiebat.

POST Mutinensem fugam, percunctantibus, quid ageret Antonius, quidam è familiaribus eius respondisse fertur. Id quod canis in Nilo: bibit, & fugit. Constat enim in Ægypto canes è Nilo currentes bibere: nimirum metu crocodilorum eo in flumine regnantium.

TITIVS quidam studiosè pilâ ludere solet: sed idem noctu signa sacra frangere putabatur. Hunc cùm gregales in campo desi-

derarent, Veſpa Terentius hoc colore excuſauit, quòd diceret illum fregiſſe brachium. Nam diuorum imagines brachiis geſtabant donaria.

APPIVS homo dicax vſque ad ſcurrilitatem, Caio Sextio dixit: Cœnabo apud te: nam vni locum eſſe video: notans illum, quòd luſcus eſſet. Cui Sextius ex tempore: Manus, inquit, laua, & cœna: tectè obiiciens illi impudicitiam, aut certè rapacitatem.

APPIVS Claudius dicere ſolitus eſt; Populo Romano longè meliùs committi negotium, quàm otium: ſentiens multitudinem bellis excitari ad virtutem, in pace defluere ad voluptates ac luxum, ex quibus naſcitur Rerump. exitium.

MARTIA Catonis filia minor, rogata, cur à morte mariti nollet iterum nubere: Quoniam, inquit, non inuenio virum, qui me magis velit, quàm mea.

EADEM cùm diutiùs lugeret maritum, rogata, quem eſſet habitura diem luctus vltimum; reſpondit: Quem & vitæ.

VALERIA Meſſalarum ſoror, rogata, cur amiſſo Seruio viro, nulli vellet nubere; Quoniam, inquit, mihi ſemper viuit maritus Seruius.

ATTI-

ATTILIVS eruditiſſimè ſimul & facetiſſimè dixit: Satius eſt, otioſum eſſe, quàm nihil agere.

PLINIVS maior dicebat, nullum eſſe librum tam malum, qui non aliquâ parte prodeſſet.

AVFIDIVS Modeſtus Quintum in morbo ſibi dicentem, manus eſſe frigidas, hoc ſcommate taxauit: Atqui calidas è prouincia extuliſti: notans eum, quòd proconſul adminiſtrans prouinciam, multa furatus eſſet.

BASSIANVS Antoninus Imp. magnâ laborabat inuidiâ, quòd fratrem occidendum curaſſet: eoque Æmilio Papiniano prætorii præfecto, ob eximiam iuris prudentiam ſummæ apud Romanos auctoritatis, negotium dederat, vt hoc facinus apud ſenatum defenderet. At is reſpondit, multo faciliùs parricidium perpetrari, quàm defendi. Ob hanc liberam vocem Baſſianus occîdit virum immortalitate dignum.

IVLIVS Maximus proditione militum interfectus eſt, vnà cum filio Diadumeno etiamnum puero: quo tempore conclamatum eſt à militibus: Ex peſſimo genere ne catu-

lum quidem esse relinquendum.

CVM M. Bruto tota ferè Lusitania sese dedidisset, sola vrbs Ciania pertinaciter arma retineret; tentatum est per Bruti legatos, vt, datâ pecuniâ, perseuerarent esse sui iuris. Verùm his populus Cianensis vno ore respondit, sibi ferrum à maioribus relictum, quo vrbem tuerentur; non aurum, quo libertatem redimerent.

FVRNIVS Antonii partes secutus fuerat. At posteaquàm victoria cessit Augusto, metuens sibi, subornauit filium, qui à victore veniam peteret. Petiit, & impetrauit. Tum Furnius his verbis Cæsari gratias egit: Hæc vna, ô Cæsar, abs te mihi facta est iniuria: effeciſti, vt mihi & viuendum, & moriendum sit ingrato.

LIBERTINVS quidam prædiues aiebat sibi facilem fuisse viam ad diuitias, posteaquam pœnituerat ipsum bonæ mentis.

LATRO Porcius, cuius ingenium supra modum miratur Seneca, cùm Maxillus Rhetor exilitatem orationis suæ imputaret controuersiæ, diceretque: Necesse est, me per spinosum locum ambulantem, suspensos habere pedes: Non mehercule, inquit, tui

tui pedes ſpinas calcant, ſed habent.

SEVERVS Caſſius, qui alienas ſententias, paucis immutatis vocibus, vſurparent pro ſuis, dicere ſolet: Eos eſſe ſimiles furibus, qui poculis alienis mutarent anſas, ne poſſent agnoſci.

PROCVLEIVS querebatur de filio, quòd expectaret mortem patris: cumque filius reſpondiſſet: Ego verò non expecto: Imò, inquit, rogo, vt expectes. Detorſit verbum in contrarium ſenſum.

DVILLIVS, qui primus Romæ è nauali pugna triumphum obtinuit, audiens exprobrari ſibi graueolentiam oris, expoſtulauit cum Bilia vxore, cur huius vitii nunquam admonuiſſet, quo licuiſſet mederi: Putabam, inquit illa, omnibus viris ad eundem modum olere animam.

VECTIVM Valentem ferunt, quum metueret à Claudio Hoſtiæ agente, laſciuiâ in prælatam arborem conniſum, interrogantibus, quid adſpiceret, reſpondiſſe, tempeſtatem ab Hoſtia atrocem: quum de Meſſalinæ adulteriis quæſtionem acrem futuram innuere vellet, cunctis in aurem dormientibus.

SAMIAS homo fatuus & ingenii ſtolidi hydriam vacuam capiti loco puluinaris appoſitam, quum duritie offenſus paleis impleuiſſet, quæſitumque eſſet, cur id faceret, reſpondit, quo molliùs tomenti vice illi incubem.

CASSIVS Seuerus, quum ex S.C.to libri eius exurerentur, Nunc, inquit, ſupereſt, vt ipſe viuus comburar, qui illos edidici.

ANONYMVS interrogatus, quid ante mundum conditum Deus faceret, Curioſis, inquit parabat inferos.

ACCIVS poëta aiebat: Nihil credo auguribus, qui aures verbis diuitant alienas, ſuas vt auro locupletent domos.

QVIDAM interrogatus, cur, quum Alphonſus erga omnes liberalis exiſteret, ſolos Aſtrologos præteriret, qui nulli in eius palatio viſi ſunt, Sidera, inquit, ſtultos regunt, impelluntque; ſapientes aſtris imperant.

QVENDAM in puteum delapſum quiſpiam conſpicatus, dixit: Miſer, quomodo in puteum decidiſti? Quid refert, inquit ille, quomodo inciderim? Hoc potiùs age, vt hinc poſſim educi.

CLIENS quidam quum Cœlio oratori omnia

omnia in ſermone concederet, ille iam longâ aſſentatione euocatus; Dic, ait, contrà, vt duo videamur.

ALPHONSVS quum audiiſſet Senenſes, qui in bello Italico medii extitiſſent, in neutram partium inclinantes, poſtea ſedato bello, prædam militum fuiſſe; dixiſſe fertur: Senenſibus eueniſſe, quod his ſolet, qui mediam domum incolunt, vt ab inferioribus fumo, à ſuperne habitantibus vrinâ vexentur.

QVVM à Iacobo Alemanno Iudæis parentibus nato, diui Ioannis aureum ſimulachrum vænale exhiberetur aureis quingentis: Non tu ſanè ineptus es, inquit, diſcipuli imaginem tanti æſtimans; quum maiores tui eius magiſtrum triginta non ampliùs denariis vendiderint?

IDEM magiſtratum cotem appellare ſolitus eſt, quo hominum ingenia probantur. Magiſtratus enim, vt celebratur prouerbio, virum indicat.

ZISCA Huſſitarum dux fortiſſimus, iam moriturus, quum à militibus interrogaretur, quomodo ſepeliri cuperet, Pellem mihi mortuo, inquit, detrahite; relictoque

feris

feris cadauere, ex cute tympanum facite, quo in prælijs vtamini. Hoſtes namque vt viuentis adſpectum non ferebant, ita mortui ſonum audire nequibunt.

QVIDAM ſe videre ouum ſomniauerat ex lecti cubicularis faſcia pendẽs illigatum. Id ſomnium quum ad coniectorem retuliſſet, reſponſum eſt, theſaurum indicari: proinde eo in loco foderet. Reperit aurum argento circumdatum, miſitque paululum argenti coniectori, de auro diſſimulans. Coniector verò ad ouum alludens: Quid? inquit: nihílne de vitello?

PHÆDRIA apud Terentium quum dixiſſet, Totus, Parmeno, tremo, poſtquam adſpexi hanc: excipiens Parmeno, ad tremoremque alludens: Animo, ait, bono eſto: accede ad ignem hunc, caleſces plus ſatis.

APVLEIVS quum Fotidem baſiaret, ab illa hoc modo monitus eſt: Heus tu, ſcholaſtice, dulce & amarum guſtulum carpis: caue, ne nimiâ mellis dulcedine diutinam bilis amaritudinem trahas.

VERRIVM Flaccum iuris pontificii peritiſſimum dicere ſolitum, refert Varro: quia feriis tergere veteres foſſas liceret, nouas facere

cere ius non esset; ideò magis viduis, quàm virginibus idoneas esse ferias ad nubendum.

VRBS Roma Africani superioris clarissima opera iniuriis pensando, vici eum ignobilis ac desertæ paludis accolam fecit. Eius autem voluntarii exilii acerbitatem non tacitus ad inferos tulit, sepulchro suo inscribi iubendo: *Ingrata patria, ne ossa quidem mea habes.*

M. TVLLIVM pro fortissimo viro Milone dicturum vox animusque defecit. quâ re effectum est, vt reus damnaretur. Quum autem postea exulanti missa esset ea oratio, (quæ iudicio accuratissimi censoris Fabii Quintiliani palmam inter omnes Ciceronianas obtinet) vt sunt homines etiã interdum in calamitate faceti, risit Milo suauiter intempestiuam medicinam; &, O factum bene, inquit, quòd non ita dixeris, Marce Tulli: neque enim esitaret Massiliæ mullos barbatos Milo.

M. POMPONIVS Marcellus, cùm in oratione Tiberii Cæsaris verbum aliquod reprehendisset, & Atteius Capito, cui plus adulatio proiecta infamiæ, quàm iurisprudentia

dentia laudis peperit, adfirmaſſet, verbum illud Latinum eſſe, aut, ſi non eſſet, mox futurum; tum Marcellus: Mentitur, inquit, Capito: tu enim, Cæſar, ciuitatem dare potes hominibus, verbis non potes.

INCOLÆ Iauæ inſulæ ſunt ſubdoli, infidi, ſuperbi, contumaces, præſertim in peregrinos. Rex ipſe à noſtris nautis admonitus, cur fidem datam non ſeruaſſet, curque ſecus loqueretur, quàm olim, An neſciebatis (inquit) linguam mihi non eſſe oſſeam?

CLAVISIO Sabino memoria tam mala erat, vt illi modò nomen Vlyſſis excideret, modò Achillis, modò Priami. Nihilominus eruditus volebat videri. Hanc itaque compendiariam excogitauit. Magnâ ſummâ emit ſeruos, vnum, qui Homerum teneret; alterum, qui Heſiodum. Nouem præterea Lyricis ſingulos adſignauit. Poſtquam hæc familia illi comparata eſt, cœpit conuiuas ſuos inquietare. Habebat ad pedes hos, à quibus ſubinde quum peteret verſus, quos referret, ſæpe in medio verbo excidebat. Suaſit illi homo facetus Satellius Quadratus, vt Grammaticos haberet analectas.

IDEM Satellius illum hortari cœpit, vt lucta-

luctaretur,hominem ægrum,pallidum,gracilem. Quum Sabinus reſpondiſſet: Et quomodo poſſum? vix viuo: Noli, obſecro, inquit, iſtud dicere:non vides, quàm multos ſeruos valentiſſimos habeas? In ea ſcilicet erat opinione,vt putaret ſe ſcire, quod quiſquam in domo ſua ſciret.

M. VARRO ſic iocatus in Fundanium, cui pedes dolebant:Huiuſce pedes ſolent in fronte contrahere rugas.

P. SCIPIO Æmilianus cenſor, Mummio collega ſegniore,in Senatu ait: Vtinam mihi collegam aut dediſſetis, aut non dediſſetis.

M. LIVIVS Druſus,genere & eloquentiâ magnus, ſed ambitioſus & ſuperbus: quæſtor in Aſia nullis inſignibus vti voluit, ne quid ipſo eſſet inſignius:tribunus plebis,Latinis ciuitatem, plebi agros, equitibus curiam, ſenatui iudicia permiſit: nimiæ liberalitatis fuit. Extat & eius vox: Nihil ſe ad largitionem vlli reliquiſſe, niſi ſi quis aut cœnum diuidere vellet, aut cœlum: ideoque quum pecuniâ egeret, multa contra dignitatem fecit.

APVD Plautum quum percontaretur quidam;quo pacto &nupta & vidua eſſet eadē; reſpon-

reſpondit alter: Quòd adoleſcens nupta ſit cum ſene.

CANIVS IVLIVS, vir in primis magnus, cum Imp. Caio diu altercatus, poſtquam abeunti, Falleris, ille dixit: ne fortè ineptâ ſpe tibi blandiaris, duci te iuſſi: Gratias, inquit, ago, optime princeps. Decem vbi ille dies ſine vlla ſollicitudine exegerat, ludebat latrunculis, quum centurio agmen periturum trahens, & illum quoque citari iuberet. Vocatus numerauit calculos; & ſodali ſuo: Vide, inquit, ne poſt mortem meam mentiaris, te viciſſe. Tum annuens centurioni: Teſtis, inquit, eris, vno me antecedere. Luſiſſe tu Canium illâ tabulâ putas? illuſit.

TRISTES erant amici talem amiſſuri virum. Quid mœſti, inquit, eſtis? Vos quæritis, an immortales animæ ſint: ego iam ſciam. Nec deſiit in ipſo veritatem fine ſcrutari, & ex more ſuo quæſtionem habere.

PROSEQVEBATVR illum philoſophus ſuus, nec iam procul erat tumulus, in quo Cæſari fiebat quotidianum ſacrum. Quid, inquit, Cani, nunc cogitas? aut quæ tibi mens eſt? Obſeruare, inquit Canius, propoſui

sui illo velociſſimo momento, an ſenſurus ſit animus, exire ſe; promiſitque, ſi quid exploraſſet, circumiturum amicos, & indicaturum, quis eſſet animarum ſtatus.

SEXTVS Pompeius in Hiſpania apud Mundam victus, amiſſo fratre, reliquiis exercitus collectis, Siciliam petiit: vbi ruptis ergaſtulis mare obſedit: interceptis commeatibus Italiam vexauit: & cùm mari feliciter vteretur, Neptuni ſe filium confeſſus eſt, eumque bobus auratis & equo placauit. Pace factâ, epulatus in naui cum Antonio & Cæſare, non inuenuſtè ait: Hæ ſunt meæ carinæ: quia Romæ in Carinis domum eius Antonius tenebat.

VARRO iocosè dixit: Neque vetulus canterius, quàm nouellus melior, nec canitudini comes virtus.

PLANCVS calumnias Aſinii Pollionis, qui orationes meditabatur à morte Planci edēdas, ne reſpondere poſſet, fregit ſic dictitans: Cum mortuis non niſi laruæ luctantur.

VETVS quidam dux hoſtibus ſuis hoc modo interminatus fuiſſe proditur; ſe videlicēt effecturum, vt ipſorum cicadæ humi canerent: eo dicto innuens ſe cuncta ho-

ſtium arbuſta ſucciſurum ſtirpitus, vt vel ſic truncatis ſtipitibus, cicadæ neceſſariò cogerentur humi cantillare.

CAMPANI à Samnitibus obſidio cincti, amicitiam auxiliumque ab Romanis petitum miſere legatos; qui introducti in Senatum ita locuti ſunt: Acerbum & miſerum eſt, quod fateri nos fortuna noſtra cogit. Eò ventum eſt, Patres conſcripti, vt aut amicorum aut inimicorum Campani ſimus. Si defenditis, veſtri: ſi deſeritis, Samnitium erimus. Capuam ergo & Campaniam omnem, veſtris, an Samnitium viribus accedere malitis, deliberate.

LANII cuiuſdam Neapolitani Ditis nomine vxor erat de ſe ipſa liberalior, quàm pudicam deceret. Dicaculus quiſpiam quum eam per iocum diceret carnem minoris vendere: Quid mirum, ſubdidit Franciſcus Puccius, quæ ditem lanium habeat coniugem.

BENEDICTVS SCALIGER, Iulii Cæſaris pater, de mulieribus Italis, quæ altiſſimis ſoccis vtebantur, perfacetè dixit: Eiuſmodi vxorum dimidio tantùm in lectis frui maritos, altero dimidio cum ſoccis depoſito.

IVLIVS

IVLIVS CÆSAR SCALIGER populum ſub tyrannide dicebat equum eſſe domitum, qui ignoret vires ſuas. Nautarum votum eſſe circulum. ſequi enim quod ſe ſequeretur, mortem ſcilicet. Poëtas aulæa parietum precioſorum: tegere enim veritatem.

OCVLOS, Cupidinis ſagittas: linguam, fulmina: mamillas, caſtra: baſia, antecurſores: τὸ γυναικεῖον, campos patentes, vbi prœlium committendum.

DIVITEM inertem, fritillum fortunæ: diuitias vehiculum ſtultitiæ: malos diuites, ſtatuas ſtultitiæ à fortuna eiectas: pilas inanes, vento turgidas.

COQVO ſuo Stephano, homini inſulſo, nimis ſalitè omnia condienti, Mirus, inquit, mortalis es. Das enim, quæ non habes.

QVIN & ſodales habere inſtituit more Catonis, quos lautè excipiebat. Sed cùm ex Platone didiciſſet, animam eſſe verum hominem, corpus autem amictum; cibum ſumpturus, Eamus, inquiebat, ad fabricandum murum homini Platonis.

PERTINACES in falſis opinionibus vocabat triremes ἑπτήρεις, hoc eſt, remos ab vno tantùm latere habentes. Semper enim

eas in se ipsas recurrere in gyrum.

De Cæsare quid sentiret rogatus à Gallo, Non respondebo, inquit. Quamobrem? Quia, inquit, nolles me respondisse. Hoc tibi volo gratificari. De viro enim illo non posse quidpiam verè dici, quin de omnium Imperatorum gentium omnium laude detrahatur. Neque putare sese, illum fuisse hominem, nisi esset mortuus.

Cvidam versificatorem pro poëta laudanti, Si equum, inquit, à me commodatò petiisses, asinum tibi adduci fecissem. Causanti amicitiam; Viue, inquit, vt sentis. Id est, viue, vt asinus; quia asininè sentis.

Eqvvm ab sese adamatum, & cui se vitam debere diceret, famulus cùm mortuum nunciaret, Satis est, inquit, si vixit.

FINIS.

APOPHTHEGMATA ITALICA.

Al nobilissimo, splendidissimo & virtuosissimo Signore, il Signore

CORNELIO VANDER MYLE,

Curatore della Vniuersitá di Leiden, Consigliere dell' illustrissimo Prencipe Mauritio de Nassau, & hora Ambasciatore delli potentissimi Stati delle libere prouincie vnite d'Alemagna bassa al Christianissimo Re di Francia & alla serenissima Signoria di Vinetia.

In honor del Libro de gli Apoftegmi in cinque lingue del Signor Dottor Gherardo Tuningo.

TVNINGO mio, ch'induſtrioſo accogli
Fra queſti pochi fogli
Quanto di bello troui
In infiniti libri antichi e noui;
Perche pur ſi diſtingue
Queſta opra in cinque lingue?
N'in quella v'impiegaſti
Che già bambino vſaſti,
Che de l'altre ti fù, ſe dirlo lice,
Madre non che oſtetrice?
Queſta gloria le baſti;
Perche di rado ſuole
Portar la madre inuidia a le figliuole:
Pero ſe geloſia
Si troua in lei, almanco lieta ſia,
Vedendo tanti pellegrini autori
Conſecrare a tuo nome eterni honori.

D. T. di Torsé.

Sopra la ſcielta di Motti arguti
Del molto magco Sig GHERARDO
TVNINGIO, Dottor in ambedue
Leggi.

SI quel chi l'vtil miſce con dolcezza
ſorre in galoppo al glorioſo ſegno;
Et lode eterna, eterno honor è degno,
Chi dilettando inſegna ſauiezza:
Qual honor ſarà vguale a queſta altezza
Tuningio mio di voſtro chiaro ingegno,
Di cui veggiam ſi dolce & ſaggio pegno,
Grato alla gente a gentilezza auezza.
Hor dai guſtar di tanti ſpeſi anni
Vn dolce frutto, & quel ſpandi ſi largo
Che de paſſati di compenſi i danni.
Onde altar' t'ergo, al fuoco incenſo ſpargo,
Chi da noi togli i penſieroſi affanni,
Et dal tuo nome l'oltraggio di letargo.

C. Pynacker.

In Lode de gli Apoftegmi del Signor Dottor Gerardo Tuningio,

SONETTO.

De l'huom il capriccioſo & vago ingegno
Produce i frutti ſuoi come la terra,
Che quì da fiori & frondi, & quì ci ſerra,
Quì per coltura fa meglio vn buon legno.
El piu vago & gentil che tien il regno
E quel, che (ſe'l giudicio mio non erra)
Fa per ſe ſteſſo vn frutto, el qual diſſerra
Vn nuouo fatto, detto, ò buon diſſegno.
Et quel che lecchi il parto come l'Orſa
Et da piu forma accio che ſurg' & ſale
E, come chi leua al frutto la ſcorſa.
Ma quel chi coglie il frutto che piu vale
Moſtra Tuningio mio che ſua alma ſmorſa
D'ogni affettion, puo dar al parto l'ale.

P. van Veen.

APOPHTHEGMATA ITALICA.

ALCVNI *gentil'huomini entrando in vn belliſſimo giardino del ſignore Stefano Carmagnola Genoueſe; &, come ſi ſuol fare, tratti dal diletto della verdura & de' fiori & frutti, ciaſcuno cominciò à pelar queſto, & coglier quell' altro; ſi che dettero vn matto ſcacco al detto giardino. Poſcia nel partire, che fecero, gli referiro gratie aſſai, dicendogli: V. Signoria ha vn belliſſimo giardino; però fatelo guardare, che non vi ſia guaſto, & non ci laſciate entrare perſona. Vi ringratio di queſto ricordo, riſpoſe il ſignore Stefano: ma voi me lo doureſte dire innanzi che ci entraſte dentro voi: tardi me l'hauete detto.*

HAVENDO *moſtrato vn ſuo epitalamio vn pedante Pugliese al ſignore Iacopo Sanazzaro; & veggendo che egli non faceua ſegno, che gli fuſſe pure vn poco piacciuto;*

gli disse : Signore, creda mi V. S. ch'io l'haggio fatto in vna notte. All' hora l'altro destramente pungendolo, gli disse: Senza che voi me'l diceste, questo conobbi io da me stesso.

HAVENDO *beccato vn mal fregio à trauerso il viso vn, che faceua il Rodomonte in Roma; ogni volta ch'era domandato, che fregio fosse quello, & chi n'era stato l'autore, soleua in atto heroico rispondere : Egli è vn* Datum Romæ.

VEDENDO *il signore Lattantio Benuci, che il Gouernatore di Spoleto veniua prigione in Roma, disse : Questo huomo ha hauuto la maggior ventura del mondo, da ch' egli vsci di Roma Gouernatore, & vi torna Legato.*

VN *vecchio molto sauio, & vn giouane insensato & bestiale amauano vna medesima signora. Ora volendo il giouane fare vergognare l'altro presente la signora, gli domandó quanti anni egli haueua. Rispose il vecchio: Jo in verità non lo sò cosi per apunto : ma sò bene,*

sò bene, che vn' asino di vinti anni è piu vecchio, che vn' huomo di settanta.

IL Tosetto Padouano dottore in filosofia trouando vna donna per la via, & dandole luogo, che passasse, disse, ch' egli faceua ciò, per esser ella bella donna. La qual insuperbita rispose: Sete ben brutto voi. Perche il Tosetto disse: Madonna, voi hauete detto vna bugia, & io vn'altra.

DOLENDOSI vn certo galant'huomo, hauendo fatto vna veste alla moglie di gran prezzo, di non hauer mai hauuto à fare seco, che non gli fusse costo pui d'vno scudo d'oro per ciascuna volta. A cui disse la moglie: Di questo incolpa te stesso: percioche chi t'ha tenuto, che tu non habbia vsato meco tante volte, che non ti costasse piu che vn picciolo?

HAVENDO vn certo contadino la moglie poco honesta per molti adulteri, se ne duolse col suocero. Il qual solando il genero, gli disse: Stà di buon animo, figliuolo, & lasciala

fare cosi qualche tempo: perche ella se ne rimarrà vn giorno, si come ha fatto ancora sua madre.

IL *Procaccio vedendo vna donna, che lauaua panni, laqual si haueua tirato i panni sopra il culo, & la camiscia essendo bignata l'era entrata nel canale, disse: Guardate, madonna, che il culo vi ruba la camiscia. Rispose ella: Anzi si netta il muso, per venire à basciarvi.*

VN *contadino Fiorentino hauendo assai bene accumulato le sue facultà, & venendo à morte, chiamò à se vn figliuolo molto sciocco & da poco, dicendo: O figliuolo, tu vedi; io sono spacciato: quanto sarebbe meglio, che tu morissi, tu, che io: perche dopo la morte mia ti sarà pelato il capo con la noucha. Il figliuolo cominciò a piagnere, dicendo: Mio padre, se voi pensate, che sia il meglio, che io muoia, io mi morrò, & farò ciò, che voi volete.*

VN *vecchio, che non s'era mai maritato, persuadeua a vn giouane suo vicino; che pi-*

gliasse

gliasse moglie; mostrandogli, che non si conueniua star solo. Dammi adunque (disse il giouane) vna delle tue figliuole.

VN Francese hauèdo sfidato vn Genouese a combattere in steccato, perche egli portaua nello scudo l'insegna sua: domanda il Genouese, qual sia l'insegna sua. Risponde l'altro, essere vna testa di bue. Adunque, disse l'Italiano, non ci bisogna combattere per questo: imperoche l'arme mia è vna testa di vacca.

TRATTANDO vn certo Bongiani da Pergola, di maritarsi con vna giouane, diceua ch'ella era troppo acerba. La onde il padre di lei leuatosi in colera, disse: Ella è piu matura, che tu non pensi: che gia ha hauuto tre figliuoli col chierico del nostro prete.

ESSENDO data a fare vna consulta in Fiorenza a vn dottore di legge, non hauendo molte lettere, ne domandaua vinticinque ducati. Come? disse l'altro: M. Marco de gli Asini dottore tanto eccellente si contenta di sei scudi. E non è marauiglia, rispose lui; che

costui si contenti di si poco: perch' egli ne fa ogni dì: ma io non ne fo, che tre o quattro l'anno.

LORENZO Gualterotti essendogli domandato della sufficienza del predetto dottore, rispose; che egli era fatto come la necessitá: alludendo a quel nostro prouerbio; Che la necessità non ha legge.

IL Piouano Arlotto diceua, che i piu saui huomini del mondo sono preti & frati: perche essi adoprano le nostre mogli, & noi diamo lor le spese, & nutriamo lor figliuoli.

LE sentenze del medesimo sono queste: Chi ben siede, mal pensa: Peccato celato è mezzo perdonato.

IL medesimo, a qualcuno, che gli domandaua in presto tre staia di grano, rispose: Va sù di sopra nel tal luogo, & pigliatelo. Colui andando, non vi trouò grano; & cosi tornando disse: che doue egli lo hauea mandato, non era grano. Et il Piouano à lui: Dunque non vi hai tu riportato quello, ch'io ti prestai l'anno passato? duolti per tanto di te.

VN vecchio & pouero portando dal boſco vn faſtel di legne, & infaſtidito di viuere, lo gettó per terra, chiamando la morte. Laqual ſubito comparita, il dimandò quel ch'ei voleua. A cui il vecchio veggendola d'aſpetto horribile, toſto ripentito diſſe: Che tu mi aiuti di gratia a ripor queſto faſtelio in ſu le ſpalle.

VN ladro faceua ſua ſcuſa co'l ſignore Horatio Ruggieri Bologneſe, dicendo: che ei non ſapeua, che quel, che egli haueua rubato, foſſe ſuo. Alquale eſſo riſpoſe: Baſtaua, che tu ſapeſſi, che non era tuo.

TOSETTO era ſdegnato con il medico Zerbo; perciochè dicendogli il Zerbo: Tacci facchino; non ſo io, che tuo padre fu muratore? egli prontamente ſubito riſpoſe: Niun'altro te lo puo hauer detto, che tuo padre, il quale portaua la calcina & le pietre al mio.

INSEGNANDO vn dottore, che la ſtipulatione non ſi puo fare con altro, che con parole; & però conchiudendo, che vn mutolo non la poteua fare, diſſe ſubito vno ſcuolare:

Domine doctor, quid in claudo? Credo, che egli penſaſſe, che le calcagna ancora fauellaſſero.

BENASSAI *Finetti vedendo morto Ruberino, ilquale gli era debitore di groſſa ſomma, diſſe: Al corpo di me, coſtui s' è morto, per non pagarmi.*

M. GIO. *Battiſta da L... eſſendo dinanzi al Podeſtà, ilqual pareua, che gli haueſſe poco riſpetto, diſſe: Meſſer lo Podeſtà, non mi trattate a queſto modo, che io ſon dottore. Domandaua il Podeſtà: In che vi ſiete dottorato? riſpoſe: Io nòn me ne ricordo: ma io ho in caſa il priuilegio, & mostrerovelo à voſtra poſta.*

VN *pouero chiedendo ſpeſſo per l'amor di Dio vn quattrino a vn gentilhuomo molto ricco; in cambio di elemoſine haueua il piu delle volte parole ingiurioſe. Feceſi vn giorno male a vn ginocchio quel gentilhuomo, & daua all'hora al medeſimo pouero, dicendo: Prega Dio per me, che io guariſca toſto.*

tosto. Il mendico pregaua Dio, che gli facesse venire male ancho a quell' altro ginocchio, acciochè ei diuentasse piu deuoto.

GIOVANNI *Salviati, lamentandosi vn cauallier Siciliano, che gli suoi serui fossero ladri, bugiardi & frodolenti, disse gli: Non accade dar loro cotanti titoli: basta a dir, serui; & con vna sola parola il tutto comprenderete.*

NARRANDOSI, *come tosto si sperasse la pace fra due amici, disse: Oh quanto sarebbe stato il meglio, d'hauerla conseruata, che hora sperarla; sendo cosa da pazzo, fastidirsi delle cose certe, per desiar le dubbiose & incerte.*

IL *Duca Giouanni d'Angiò essendo andato con grosso essercito, per pigliare il regno di Napoli; haueua fatto in su tutte le bandiere vn brieve, che diceua cosi:* Fuit missus, cui nomen erat Ioannes. *Il re Alfonso d'Aragona all' incontro scrisse nelle sue:* Ipse venit, & non receperunt eum.

VN *certo gentilhuomo essendo per fare*

vn parlamento dinanzi a Gismundo Duca d' Austria, lasciò ire, non potendo tenerla, vna grādissima correggia. Doue riuolto al suo culo disse: Se volete fauellare voi, non accade, che io parli. & cosi senza punto smarrirsi, seguitò il suo ragionamento.

LORENZO *de' Medici richiesto di fauorire nell' elettione de' signori non so chi alquanto sospetto allo stato; ma huomo cui piaceua il sugo della vite: & dicendogli chi gliene parlaua: Tu gli farai fare ciò che tu vorrai con vn bicchier di vino: rispose: Et se vn' altro gli ne desse vn fiasco; doue mi trouerei io?*

ERA *morta la madre a P. S. Nondimeno esso andaua vn giorno a veder la dama, con la mula che haueua i fornimenti di velluto. Perche incontrandolo Battista Lomellino gli disse: O che vergogna è questa! tua madre è morta, & tu vai con mula che hai fornimenti di velluto. Rispose prontamente: Perdonatemi; iò non sapeua, che la mula fusse parente di mia madre.*

HAVE-

HAVEVA *dato M. Marco da Lodia leggere vn ſuo ſonetto a Papa Clemente per ſolazzo: & leggendo il Papa diſſe: Queſto verſo ha vna ſillaba meno. Riſpoſe toſto M. Marco: Non vi turbate, padre ſanto; che trouerete qualche verſo, che hauerá vna ſillaba piu, & andará l'un per l'altro.*

GIO. *Arcimboldo Arciueſcouo di Milano diſſe coſi: Li adulatori ſono dalle ſimie molto diſſimili: imperò che quelle, mentre ſtudiano d'imitar l'humane attioni, ſpeſſo preſe rimangono: & queſti ſol con l'imitar gli altrui geſti, altri legano.*

IL *marito d'una donna amoreuole, accuſandogli ſecretamente il ſeruitor ſuo la donna, che ella faceſſe gran vergogna alla famiglia, s'alterò molto, dicendogli: Leuamiti dinanzi, impiccato: vuomitu dare a credere, che l'honore mio & la riputatione ſtia nella rabbia & fra le gambe di mia moglie?*

VN *giouane in Valenza hauendo chieſto da dormire vna notte con vna femina, &*

per

per non hauer denari alla mano, promettendole, che fra tre giorni pagarebbe: la buona fanciulla tiratosi su i panni dinanzi, & mostratogli monteficale, gli disse: Parti egli, che questa sia mercantia, da dare a credenza? Allhora il giouanetto, sfoderato anch' egli il suo stromento, subito soggiunse: Et questo mercante non vi pare egli, che meriti, che gli sia creduto?

Vn certo gentilhuomo douendo dare cinquecento ducati a vn Giudeo, chi lo trouaua in Francfort a vna barberia, disse: Puoi tu aspettarmi tanto, che io mi faccia leuare tutta questa barba? Rispondendo il Giudeo, che egli haurebbe aspettato; subito il debitore disse al barbiere: Fermati, non mi rader piu: & cosi lasciò la barba mezza rasa.

A tauola del signore Renzo da Ceri erano piu gentilhuomini, & fra gli altri vn Francese. Oue finita la cena, il signore disse a vn suo seruitore, che portasse gli stecchi. Et venuti in tauola, ogn' vn prese il suo. Il buon Francese

ceſe cominciò a maſticare il ſuo, credendo che fuſſe l'ultima vivanda; & trouandolo duro, diſſe Que diable eſt cela?

STANDO vn gentilhuomo Parmigiano alla fineſtra con la ſua moglie, laqual haueua menato di pochi giorni, & vedendo paſſare vna bella giouane, diſſe alla moglie: Moglie mia, io ti voglio fare ridere: queſta giouane prima che ſi maritaſſe, io hebbi piu volte à fare ſeco: ma ella fu di ſi poco ceruello, che andò a dirlo alla madre. All'hora la moglie riſpoſe, Deh pazza, ceruellina ch'ella è: io ho hauuto a fare vn centinaio di volte col carrettiere & col famiglio, & non ne diſſi mai a mia madre vna minima parola.

GIOVANNI Grimani Patriarca, vedendo chi con ſimulata libertà artificioſamente adulaua, diſſe: Coſtui fa a punto, come far ſogliono gli perfetti cuochi, liquali per toglierne la ſouerchia dolcezza delle vivande, vi remeſcolano dell'auſtero.

CHRISTOPHORO Madruccio Cardinal di

nal di Trento, intendendo dire, che il Conte Camillo Borromeo molto si doleua della smisurata grauezza del corpo; disse: Non se ne doglia il Conte; non sendo nato per volare, ne per caminare su per le funi: ma sol per abbracciar la virtu; & lasci cotesta querela agli histrioni & a' ballarini.

IL *medesimo disse vna fiata, altro non esser la memoria nostra, che vn theatro di cose molestе; sendo di necessità, che alla mente de' memorioſi molte repulsе ricorrino, molte ingiurie, molti sdegni, & molti fieri accidenti.*

ESSENDO *lodata sopra modo la tenace memoria d'un scelerato huomo, rispose: S'egli hauesse cotanta memoria, quanta voi mi dite, egli si ricorderebbe d'un'Iddio & di se stesso; & cosi piu innocentemente viuerebbe, ch'ei non viue.*

IL *medesimo disse: Si come da correti fiumi tanto ne hai, quanto ne beui: cosi de correnti & veloci giorni tanto ne godi, quanto nelle cose stabili & eterne collocar ne puoi.*

IL

IL *medesimo fauellandosi della grossezza del Conte Viisse Manzuolo, disse: Se il corpo lo aggraua, l'agilità dell' animo lo solleui; & se l'huomo è detto ab humo, cio è dalla terra; consoliſi, percioche quegli, che da maggiore copia di terra saranno circondati & vestiti, saranno meritamente detti d'esser piu huomini, che gli magri & attenuati non sono.*

VN *medico dando vna ricetta scritta in vna carta, disse, che il patiente la pigliasse in tre volte. Quello partita la cartuccia in tre pezzi; ogni mattina ne prese vna parte, & cosi guarí.*

HAVENDO *vn cieco da vn occhio tolto per moglie vna fanciulla, laquale egli credeua, che fusse vergine, & non era, aspramente ne la riprendeua. A cui ella rispose: Perche mi vuoi tu hauere intera, & hai solo vn occhio? disse il marito: I miei nimici m' hanno fatto questo danno. & la fanciulla a lui: Et a me gli amici miei.*

CAMERINO *hauendo confessato molte*

tristitie,

tristitie, per le quali egli era condennato alle forche: gli fu fatto intendere da vn amico, che si disdicesse d'ogni cosa, che gli salverebbe la vita a ogni modo. rispose. Questo non farei io mai, perche ci andarebbe troppo dell'honor mio: io sono huomo della parola mia.

VN *contadino, a cui erano morti di peste la moglie & molti figliuoli, ammalò anch'esso. Perche volendo il prete prouedergli de' sacramenti della chiesa; il contadino con grandissima colera disse; che per conto alcuno egli non intendeua di morire; & che Domenedio gli faceua ingiuria; & cosi se ne appellò a gli Apostoli.*

BARDELLA *da Mantua essendo menata a impiccare, & dicendo vno de' confortatori: Sta di buon animo; che questa sera tu cenarai con la Vergine Maria & con gli Apostoli: rispose: Di gratia andate ci voi per me, che io digiuno hoggi.*

VNA *fante in Reggio prese vna medicina, & domandata dal medico dell'operatione,*

gli

gli rispose: Io sono andato così liquido, che voi l'haureste potuto bere. Vn' altra volta rispose, ch'ella non haueua fatto tanta operatione, che esso non la potesse tenere tutta in bocca.

OTHO Truxes Cardinal di Augusta, dolendosi vn suo seruidore, d'esser stato tradito da chi piu lo carezzaua, disse gli: Ha fatto questo tuo nemico appunto come far suole il polipo, che ne abbraccia, per sommergerne.

VN pazzo hauendo menato vna bella moglie, & essendo stato alcuni giorni fuora; tornò di notte a casa, si come quel, che hauea qualche sospetto: & trouò dinanzi all'uscio della sua camera vn paio di scarpe. onde chiaramente conobbe, che il bertone era dentro. Per laqual cosa non volendo correr'a furia, l'altro giorno conferendolo tutto con gli amici suoi, disse: come egli haueua prouato, che gli huomini spesse volte per la colera non sono in ceruello; & però era mancato poco, che egli non hauesse stracciato in mille pezzi le scarpe

del bertone; ma nondimeno haueua acquetato il ſuo furore con la ragione.

COCCHINO *pouero ſtaua in vna caſetta, doue non era niente. oue vna notte entrò vn ladro, andando ruſpando con le mani, per vedere, ſe trouaua niente da rubare. Il qual ſentendo Cocchino diſſe: Ruſpa, ruſpa pure a tuo modo: ben vorrò io vedere, ſe tu ci trouerai di notte quel che io non ci trouo di giorno.*

A vno Ingleſe, eſſendo a vn conuito, fu portato vn tazzone di vino (col qual haueuano a bere di mano in mano quelli, che erano a tauola) & mettendolo alla bocca, vi vidde dentro vna moſca morta: laqual egli traſſe fuora. Di poi beuuto, ve la rimeſe dentro: & domandato della cagione, diſse: Io per me non amo le moſche: ma che sò io, ſe c'è qualchuno di voi, a chi elle piacciano?

VN *giouanetto licentioſo domandando a Bernardo Vitale nella preſenza del re Federigo: Vſate voi ancora gli occhiali, quando ſcher-*

ſcherzate con veſtra moglie? Si certo, riſpoſe egli ; perche gli metto al naſo a mia moglie; acciochi la mia mercantia le paia piu groſsa & piu rigoglioſa.

IL *nobiliſſimo ſignore Arnoldo Gaut conſigliere prudentiſſimo dimandato d'alcuno, come ſi poſsa ſpenger l'inuidia, riſpoſe : L'eccellente virtù ammorza l'inuidia ; & la mediocre la prouoca : & che l'inuidia era ſimile al fumo, che ſuol ſparire, quanto piu toſto la fiamma riſplende.*

CORNELIO *Muſcio Veſcouo di Betonto dimandato dal Conte Coſtantino Landi ; ſe per diuenir dotto, ei doueſse molto leggere, riſpoſe: Si come a ſtomachi piu ſempre nocque la nauſea, che la fame: coſi a noſtri ingegni piu nuoce il molto leggere, anzi che il poco.*

VN *gentil'huomo Tedeſco andaua a Ratisbona; & come fu ſul ponte, il cauallo ſtranuti & inginocchioſſi co' piedi dinanzi. Ciò veggendo vna donna, ſi miſe a ridere, & farſi beffe di quel gentil'huomo. Iſquale le*

disse: Il mio cauallo fa sempre a questo modo, quando egli vede qualche puttana. A cui la donna facetamente rispose: Habbiateui cura huomo da bene, di non entrare nella città con quel cauallo; se non volete romperui il collo.

VN semplice huomo, che haueua la moglie buona compagna, essendo stato fuora vndeci mesi; tornato a casa, & trouata la moglie sul partorire, domandaua; se poteua essere sua tal creatura. Rispose un'astuta donna, che era presente: Et perche non? l'asina porta vn'anno: ben può portare vna donna vndeci mesi.

TROVAVA-SI Pietro Marzi gentilhuomo Sanese in villa, & vedendo vn suo amico passare a cauallo dinanzi alla casa; lo chiamò per nome, & con grande instantia lo pregò, che rimanesse seco, sforzandolo a ciò vn fiero temporale, che soprastaua. Lo amico ringratiatolo, si mise in viaggio. Ma essendo sopragiunto da vna grossissima pioggia, & tornando indietro per accettare il cortese inuito, picchiò, dicendo: Pietro, io mi son pentito.

Doue

Doue Pietro affacciatosi alla finestra, subito gli rispose: Et ancora io. Si che il pouero huomo fu costretto procurarsi albergo altroue.

VN *prete dicendo a vn contadino ammalato & diffidato della vita: Tu sarai portato hoggi in Paradiso: rispose l'infermo: Certo che io haurò molto caro, d'esservi portato: per che se la via è lunga, io non potrei mai irvi à piedi: cosi stanco & debole sono.*

LITIGANDOSI *dinanzi vn Podestà sopra vna heredità di molta importanza, l'uno de gli auvocati diceua: La volontà del defunto ha voluto tutto il contrario. Il Podestà, poiche hebbe sentito buona pezza questa disputa, disse: Farete domani venir quà il defunto; che da lui intenderemo la sua volontà: credendo che il defunto fusse il nome del testatore, & viuesse.*

